


JAC: MATTHIÆ
RATIO
DOCENDI.












BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

DOCTRINA DE RATIONE DOCENDI, DISCENDIQVE ARTES ET DISCIPLINAS:

publicè prælecta in Academia Hafniensi:

A'

D. *IACOBO MATTHIAE*

Arhusiensi.

NVNC

Edita opera & studio

NICOLAI PETRI

Arhus. & hæredum.



Laurentius
Martini Str
vive ut viva
Ao 1608

BASILEAE,

PER SEBASTIANVM HENRICPETRI.

MAIORVM ET PROPRIA VIRTVTE NOBILISSIMO VIRO CHRISTIANO HOLCH DE RONNEHAFHVE serenissimi Danorum, Norvægianorum, &c. Regis Christiani 4. Secretario summo, aliisq; viris in Cancellaria nobilissimis omnibus ejus consociis, amicis & Dominis suis summa observantia colendis.

INtellexistis, viri Nobilißimi, ex ijs fraternæ industriæ monumentis quæ Sororij & amicorũ auxilio proximis nundinis, edidi, me constituisse omnia; quæ apud nos reliqua sunt ejus argumẽti publici juris facere: vt etiam communi literatorum vtilitati consulamus, & quantum in nobis est prosimus: & vobis aliisq́; viris generosis aliquam gratæ mentis significationẽ declaremus. Inter alia autẽ nobis relicta, emittimus iam Scriptum omnium judicio qui id aut legerũt aut viderũt, doctißimũ & vtilißimũ: quod est de Ratione docendi artes, facillima & expeditißima.

Docet enim Autor evidenter & clarè in

 artibus

artibus bene constituendis, aut constitutis duo esse summè necessaria, præceptiones & Methodum. Præceptiones requirit vtiles, necessarias, veras, homogeneas, reciprocas, affirmatas. Methodo easdē vult disponi naturali & vera, in qua eæ primum locū obtinent quæ sunt generalissimæ & per subalternas, ad specialissimas descendatur: vt sic præceptiones Methodo dispositæ Cathegoriam et ordinem quendam seu arborē præceptionū faciant. Hoc itaq; mei fratris Scriptum, sub nomine vestro & auspicio publicandū duxi pro omnibus vestris in demortuum meum fratrē, & me nosq; eius hæredes beneficijs vndiq; collatis aliquo saltem chartaceo munere meam gratitudinē indicaturus. Si intellexero vobis hunc meū laborem & consiliū non displicere, faciam ne quid in me posthac desideretur. Valete felices, et me in vestrorum beneficiariorū numerum recipite. Hafniæ xij. Kal. Aprilis Anni CIƆ IƆ XC.

V. G.
addictiss.

NICOLAVS PETRI,
Arhus.

DOCTRINA DE RATIONE DOCENDI,

discendiq́ʒ artes & disciplinas.



VM hoc tempore argumento Græci sermonis, quod diebus extraordinarijs à me explicari posset destitueret, & ad Grammaticam quã nuper absoluimus è vestigio reuerti necessarium nõ videretur: vsquedum argumenti copia Græci fiat, aut ad Grammaticam reuertẽdum sit, visum est obiter quasi de artibus breuiter & accuratè instituendis pauca quædam auditoribus nostris proponere. Cùm enim ars sit dicendi compendium nõ dispendium, omninò accuratè & succinctè potius quã negligenter & prolixè instituẽda: ne discentes impediat potiùs quàm ad rei cognitionem & vsum celeriter prouehat. Videmus autẽ

non paucos in artibus Philoſophiæ quaſi in labyrinthis longiſsimo hærere tempore, qui nũquam aut rarò admodum ſe inde extricare & ſolidam ſententiam auferre queant. Cuius rei etſi variæ cauſſæ eſſe poſſunt: tamen etiam in ipſa docendi diſcendiq́; ratione cauſſæ nonnihil interdum eſſe videtur. Quod cùm pleriq; artium ſcriptores & præceptores intelligant, nemò ferè eſt, etiam hoc tempore poſt literas ex Scholaſtica barbarie vindicatas, (nec etiam olim fuit) qui rationẽ ab alio ſeruatã ſequi per omnia velit, vt qui ſeſe meliorem videre & adferre poſſe putet: vnde mutuæ etiam reprehenſiones publicè exiſtunt: & ſępe deterior meliorem artis magiſtrum, vel imprudẽter vel malitiosè accuſat. Vnde tanta eſt in Scholis omnibus artiũ tradendarum varietas, tanquam diverſa ratio: dum quiſq; ſuum tantum conſilium probat, aliena omnia contemnit. Imò verò ſæpè vnus & idem Magiſter, ſuam docẽdi rationẽ mutat: quoties

ties se priori meliorem reperisse sibi videtur. Vnde maxima oritur juuentuti discendi difficultas.

Cicero etiam lib. 3. de Oratore, variam esse docēdi, discendiq́; rationem indicat, dum in persona Crassi monet artes omnes aliter ab ijs tractari qui eas ad usum vitæ transferunt: aliter ab ijs qui nihil aliud in vita sunt acturi. Hoc est, qui eas solas vel profiteri publicè vel priuatim tractare volunt. Ea enim est, inquit, artium omnium natura, vt ipsa tractatio & quæstio semper aliquid ex se gignere possit, quod iucūdum magis & subtile quàm vtile & necessariū videatur. Qui igitur artes vsus caussa discūt, ij fontes tantùm: id est, præcipua& artium vsum necessaria præcepta cognoscūt: quæ nisi quis celeriter cognôrit, nunquam cognoscet omnino. Qui vero artes propter se discunt vt inde pręcipuè vitam colerent, ij non contenti fontibus, omnia etiam quæ de arte quaq; excogitari aut dici possunt, excutere atque in-

quirere solent. Cùm igitur diversa sit artium tradendarum ratio, nō inutile fuerit de cōmodissima quærere: nam ea ratione vel rudiorum iudicia informari poterint, aut saltem ingenia excitari ad meliora quærenda. Et alios qui rectiùs de hac re deseruêre legendos & audiendos. Vt ita tandem via si nō rectissima at rectæ proxima cognita & reperta, & ipsi artes ipsas cū alias tùm Grammaticam Græcam & Latinam, *&c.* & res alias quæcunq; doctrina explicantur rectiùs & faciliùs ad vsum suum & vtilitatem discant & cognoscant, & alios aliquando rectiùs doceant.

Etsi autē Aristotiles lib. 1. Eth. cap. 3. & Metaph. & prioris a. cap. 3. non esse in omnibus artibus & rebus eādem accurationem requirendam scribit, tamen ipsemet Aristotiles in omnibus ferè artibus & rebus tradendis eandē penè viam & rationem secutus est. Cū igitur varia sint hac de re hominū iudicia, nō in præsentia quid quisq; sen-

serit

ſerit aut ſcripſerit, quã quid optimi Plato imprimis, & Ariſtotiles ſenſiſſe & ſecuti eſſe videantur, Quidq́; de illorũ ſententia nobis rectiſſimum videatur, ad artium inſtitutionem compendioſam dicemus. Idq́; vt faciliùs & rectiùs fiat, eadem ferè ratione qua artes inſtituendæ eſſe videntur, hæc ipſa proponemus: vt & hæc ipſa quæſtio eius rei paruum exemplum eſſe poſſit.

Et quoniã res omnis tum rectè intelligatur, cùm cauſſæ eius & partes ex quibus cõſiſtit, cognitæ fuerint: Cauſſas autem rei cuiuſq; definitio ferè cõplectatur, ideoque vt in alijs omnibus quæſtionibus etiam hîc à generali artis definitione tanquã à capite inchoandum eſt, vt inde reliquum corpus & membra omnia huius quæſtionis deducantur.

Quid igitur eſt ars?

Ars eſt certa agendi ratio ſeu præceptionum Methodus.

In præſentia autem ars, ſcientia, diſciplina, inſtitutio, pro eodem nobis

erunt. Etſi enim Ariſtotiles interdū ar tem & ſcientiā (in Ethi. 6.) diſtinguit, tamen & vſus cōmunis linguæ Latinæ & Grçcç, & ipſe Ariſtotiles aliàs ſçpiùs vocabulis iſtis promiſcuè utitur.

Quæ eſt cauſſa efficiens artis?

Eſt animus humanus, qui gemina fa cultate tanquam inſtrumento vſa, artē inuenit & conſtituit. Prior facultas ſen ſus eſt & experientia. Altera mens & ratio. Senſus eſt rerum ſingularum. Ex ſenſu autem & rerum ſingularū experientia, obſeruatione, inductione, omnis humana cognitio & ars oritur & excitatur. Illa itaq; exempla artiū ſuppeditat. Mens autem ex ſingularibus exemplis ſpecies, & genera & præcepta tandem vniuerſalia colligit, unde ars poſtremò generalis exiſtit, ut docet Ariſtotiles 14. cap. 1. poſtr. & vltimo cap. 2. poſt. & 1. cap. Metaph. vbi Ariſtotiles Platonis ſententiā in Gorgia poſitam laudat: ἡ μὲν ἐμπειρία τέχνην, ἡ δὲ ἀπειρία τύχην ἐποίησεν, i. Experientia artē, inexperientia temeritatē genuit: vnde

vnde Fab.cap.2. lib.2. Initium,inquit, dicēdi dedit natura (id eſt,prima cauſſa dicendi eſt natura) initium autē artis obſeruatio. Homines enim ſicut in medicina, cùm viderent alia ſalubria, alia inſalubria,ex obſeruatione earum effecerunt artem. Ita cùm in dicendo, alia vtilia, alia inutilia deprehenderūt, notârunt ea ad imitandū vitandumq́;, & quædam ſecundum rationem adiecerunt ipſi quoque. Hæc confirmata ſunt vſu: tum quæ ſciebat quiſque docuit.

Hæ igitur duæ animi noſtri facultates cognitionis & artis omnis opifices, teſtes & iudices ſunt. Vnde & artium principia & κριτήρια: id eſt, iudicandi inſtrumēta appellantur. Quare in artibus accuratè inſtituēdis quicquid horum teſtimonio deſtituitur, quicquid vſu & experientia inprimis vel non probatum eſt vel probari nequit, id in vniuerſum vt nothum & illegitimum ex finibus artium eijciendum eſt.

Quis est artis finis?

Actio vitę vtilis ad rē vtilem parandā. Ars enim boni alicuius & finis caus-sa expetitur. Vt Grammatica benè lo-quendi. Rhetorica benè dicendi. Lo-gica bènè disserendi caussa expetitur. In genere igitur Ars vsus caussa inuen ta est, & finem habet vsum aliquem vi-tæ: id est, benè recteq́; agendi faculta-tem. Ars enim (vt ait Cicero) est dux certior quàm natura. Deinde etiā ad docendi discendiq́; facilitatem ars ex-petitur. Ars enim non solùm opus ef-ficit, sed etiam artificem: nemo enim ferè sibi discit. Vt enim homo nascitur vt hominem gignat: ita ferè fit, vt arti-fex opera artis artificem alium de se procreat, qui agendi docendiq́; scien-tia & facultate præditus sit.

Primùm igitur artis omnis institu-tio ad hunc geminum scopum, nem-pe agendi vsum & certitudinem, & di-scendi facilitatem spectare debet. In-primis autem ad discendi facilitatem: nam qui facilè artem percipit, facilè etiam

etiam ad uſum artis pervenit.

Facilè autem ars diſcitur, quæ breuis eſt & accuratè ſubducta. Vnde Horatius in arte Poëtica:

Quicquid præcipies eſto breuis: vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantq́; fideles.

Et Ariſtotiles ipſe in ſua Poëtica ait, vt corpus mediocri magnitudine præditum εὐσύνοπτον: (id eſt, cōſpiciuum) eſt. Ita oratio omnis & doctrina quæ breuis & ſuccincta ſit, εὐμαθὴς καὶ εὐμνημόνευτος eſt. Inter doctrinam enim breuem & mentem atq; memoriam noſtram proportio quædam eſt, ut inter corpus mediocre & oculum: Vnde & eiuſmodi res non ſolùm facilè, ſed etiam cum voluptate percipiuntur, non aliter atque ventriculus cibum moderatè ſumptum auidè arripit, facileq́ue concoquit. Ars igitur ut facilis ſit: (id eſt, breui tempore diſci poſcit, & minimo labore & moleſtia) breuis eſſe debet. Omnia autem vt ait Fabius lib. 12. cap. 11. breuiora facit

ordo & modus: id eſt, mediocris præceptionum neceſſariarum magnitudo & numerus, earumque accurata methodus. Atque hactenus de cauſſis artis.

Quot ſunt partes artis?

Duæ. Pręceptio & Methodus.

Præceptio enim artis materia eſt, methodus forma: quare his duabus velut certis cauſſis internis & partib, eſſentialibus explicatis, & quo pacto vtraq; accuratè inſtitui debeat, res tota plana erit. Primùm ergò de Præceptione: Inde de Methodo dicemus.

DE PRÆCEPTIONE.

Quid eſt Præceptio?

EST enũciatio artificioſa, eademq́; pręceptũ, perceptio, comprehenſio, κατάληψις ἐγκατάληψις, ſententia, opinio, δόξα, documentum, decretum, dogma, conſilium, monitum, admonitio, Theorema, via, ratio, regu-

la,norma, canō,axioma, & propoſitio didaſcalica & Apodictica dici poteſt: etiam totius nomine quælibet præceptio ars interdum appellatur. Plato in Minōe eleganter νόμον: id eſt, legem appellat. Ariſtotiles etiam ἀρχὴν: id eſt, principium vocat. Nos præceptionis & præcepti vocabulis, Ciceronem & Fabium ſecuti, utemur, quod ea vox magis ad finem artis nempe docendi munus, ſpectare videatur. Pręcipere enim docere eſt, vnde pręceptor artiū magiſter & doctor dictus eſt, eiusque doctrina præceptum & pręceptio παράγγελμα.

Qualis igitur eſſe debet præceptio artis, accuratè & breuiter inſtituenda?

Præceptio artis accuratè inſtituendæ, debet eſſe non ſolùm vera & vtilis, ſed etiam affirmata & Catholica. Item ὁμογένεια & reciproca. Ita enim præcepta pauciſſima fient & ars tota breuiſſima ac proinde facilis quæ fontes tātum contineat: vnde poſtea immenſa diſpu-

diſputationum & exercitationum flumina deriuari poſſint.

Vbi hæ conditiones & Leges præceptionis instituendæ, traditæ ſunt?

Ariſtotiles lib. 1. Poſteriorum cap. 4. has leges propoſuit & breuiter atq; obſcurè nõnihil expoſuit. Sed poſtea per totũ librum leges illas fusè & copiosè & penè nimiũ diſputauit & ventilauit. Partem autem harum legum Plato in Minoë, partem Galenus ad Traſybulum docuit.

Quæ est præceptio vera?

Eſt quæ cum re conuenit, aut in qua pars conſequens vera eſt de antecedẽte, quam veritatem in Philoſophia, vt diximus, vel ſenſus vel ratio dijudicat. Falſa contrà eſt, quę cùm ſit ἀκατάληπτος (id eſt, percipi nõ poteſt) ſcientiam gignere non poteſt, vt ſi quis dicat: Hyppocentauri fel attonitis mederi: cùm enim ſcientia ſit rei adiunctum, ſi res nulla ſubiecta ſit neq; ſcientia vlla erit. Si igitur falſum aliquod præceptum ab artificibus in artes introdu-

troductum esse, sensus aut ratio deprehenderit, id ex finibus artium primum omnium reijciendum est.

Quare legitima est in omnibus artibus tradēdis & discēdis Philosophandi ratio, ad rerū potius veritatem, quā ad authoritatem & opiniones hominum respicere. Vnde præclarè siue Aristotiles siue filius eius Nicomachus Ethicorum 6. Aequū est, inquit, veritatis caussa sua etiam decreta tollere (id est, negare quæ antea affirmârit) præsertim Philosophus. Etsi enim utraque chara sint, tamen pium est veritati honorem deferre. Vnde Cic. lib. 1. de natura deorum, non tàm, inquit, authoritates in disputando quàm rationis momenta quærenda sunt. Obest enim plerunq; his qui discere volunt, authoritas eorum qui se docere profitētur. Desinunt enim suū iudicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo quem probāt, iudicatum vident. Nec probare soleo, quod de Pythagoreis accepimus: quos ferunt, si quid affirmarent

in diſputando, quum ab his quærere-
tur, quare ita eſſet, reſpondere ſolitos
αὐτὸς ἔφα: id eſt, ipſe dixit. Ipſe autē erat
Pythagoras. Tantum opinio præiudi-
cata poterat, ut etiam ſine ratione va-
leret, authoritas. (Hactenus Cicero.)

Seneca lib. 4. Epiſtola 33. Quid, in-
quit: nō ibo per priorum veſtigia? Ego
verò vtar veteri via? ſed ſi potiorē pla-
nioremq́; inuenero, hanc muniā. Qui
ante nos ita monuerunt, non domini
noſtri, ſed duces ſunt, patet omnibus
veritas, nondum eſt occupata, multū
ex illa futuris etiam relictum eſt. Hæc
illi veritas igitur rerum in artibus inſti
tuendis, authoritati præferenda eſt, &
qui rectè artes tradere velit, ſe etiam:
id eſt, ſenſus ſuos & mentis ſuæ iudi-
cium in conſilium adhibere debet, ne
opinionum vanitate deceptus, falſa
pro veris arripiat & alijs proponat.

Quæ eſt Præceptio vtilis?

Eſt quæ ad artis finem conſequen-
dum neceſſaria eſt, & ſine qua eo per-
ueniri

ueniri non poteſt: ut quod in Dialecti-
ca ad benè diſſerendi facultatem pa-
randam adiumenti aliquid affert, vtile
cenſendum eſt: Inutilis contrà, quæ ad
finem artis non eſt neceſſaria, quales
ſunt per omnes artes nō paucę inanes
& ocioſæ quæſtiones & ſubtilitates,
rerum perſpicuarum αὐτολογίαν, rerum
inexplicabilium tractationes & λογο-
μαχίαν continentes. Sic exempli cauſ-
ſa in Grammatica quærere cur nomi-
na in us ſecundę declinationis maſcu-
lina ſint (vt olim quæſitum eſt) ſuper-
uacanea quæſtio eſt. Item ſcrupuloſè
diſputare de numero & diſtinctione
partium orationis, minus eſt neceſſa-
rium. Item curioſè quærere, ſit'ne par-
ticipium aliquod paſſiuum præſentis
temporis, non vſus adeò aut neceſſa-
rium uidetur. Cùm enim ſciam rectè
Latinè dici poſſe, bonis auditoribus
legendis eruditionem parari. Perinde
eſt ſiue Participium ſiue nomen Adje-
ctiuum legēdis appelletur. Sic in Rhe-
torica ad benè dicendum parum fa-

cere videntur quæſtiones illæ. Vtrum
Rhetorica ars ſit vel ſcientia. In Geo-
metria ocioſa eſt quęſtio, ut ait Ariſto-
tiles ipſe, 7.cap.1.poſt. An recta linea
ſit pulchrior quàm curua. Nihil enim
ad bene menſurandum facit. Atque
eadem ratione propoſitionum per ſe
euidẽtium, aut quæ exemplo tantum
intelligi poſſent, prolixæ demonſtra-
tiones minus neceſſariæ uidentur, vt
propoſitio penultima primi, Si baſis
trianguli ſubtendat rectum æquè po-
teſt cruribus (hæc enim mens eſt pro-
poſitionis iſtius) in triangulo vario nu
meris oſtendi poteſt. Quare demon-
ſtratione longiori per Syllogiſmos fa-
cta ad hanc propoſitionem intelligen
dum non magnopere opus eſt. Vt ſic
etiam principia: id eſt, præcepta quæ
per ſe intelligi poſſunt, non ſunt Syllo
giſmo demonſtranda, ſed exemplo
tantùm inducenda, & ſenſu atque di-
gito demonſtranda, vt loquitur Ari-
ſtotiles 7.cap.2.poſt. Quare in hoc
pręceptum commiſit Apollonius Ma-
thematici-

thematicus qui clariſsimũ illud axioma, quæ eidem ſunt æqualia inter ſe ſunt æqualia, demonſtrare conatus eſt. Sic in Phyſicis, Seneca Epiſt. 82. Superuacaneæ quęſtiones eſſe videntur. An per ſe ſit aliquid, an aliquid ante tempus ſit. Si tempus cum mundo cœpit, an & ante mundum quia fuerit aliquid, fuerit & tempus. Galeno autem hæ vtrum aliquid ſit extra mundum & quare id ſit, vtrũ hic mundus ſeipſo contineatur, vtrum plures vno, vtrum plurimi numero. Sic quæ de anima hominis quæruntur. Sit'ne vna an plures, & vnde ſit, ſit'ne tota in toto & qualibet parte tota, an in cerebro an in corde habitet. Etiam Senecæ ſuperuacaneæ eſſe videntur. Sit'ne vacuum, ſit'ne infinitum. Vtrum elementa corporibus an qualitatibus miſceantur. An aqua ligno grauior ſit. Et quod apud Macrobiũ eſt an ouum ante gallinã an gallina ante ouum fuerit. Item apud Ariſtotilem in Methaphyſ. an potẽtia prior actu ſit, an actus

illa prior. Sic in medicina quæstio de venarum origine parum ad morbos curandos necessaria esse videtur. Galenus de Methodo medendi, qui inquit: id quod vtile est in arte deserunt in Logicas disceptationes incidũt. Est namque artis vtilitas remedia ad ægrum sanandum inuenire, qua relicta illi de nominibus litigant ἐνδείξεις & ἀντενδείξεις. Item communitates & scopos & auxiliorũ materias aliaq́; eiusmodi linquẽtes. Scilicet hac nominũ diuersitate purgasse se arbitrantes pro ijs quæ falsò affirmant.

Sic in Dialecticis Galenus lib. 2. de dogmatis Hyppocraticis & Platonis propositionum conuersiones & Syllogismorum reductiones & potestates non prorsus necessarias ad artis eius finem, beneq́; disserendi facultatem esse existimauit.

Modi Syllogismorum inutiles dicti (indirectè concludentes) sese ipsi prodũt, suoq́; iudicio ex hac lege pereũt. De quibus Cicero: Dialectici, inquit,

nouum ſibi ſtudium ludumq́; præpa-
rarunt. Suppoſitionum, autē amplia-
tionum, reſtrictionum, obligationum,
realitatum, formalitatum commenta
ut inania quædam ſubtilitas ſua ſpon-
te ex arte euanuerunt. Seneca Epiſto-
la 45. de Dialectica loquens, multū, in-
quit, temporis verborū cauillatio illis
(veteribus) eripuit, & captioſæ diſputa
tiones, quæ ingenium irritū exercent:
nectimus nodos & ambiguam ſignifi-
cationē verbis alligamus: deinde diſ-
ſoluimus. Et diuus Paulus dum in do-
ctrinæ Chriſtianæ inſtitutione, monet
quæſtiones inutiles, κενοφωνίας & λογο-
μαχίας vitandas eſſe, indicat etiam in
hoc ſanctiſsimo doctrinæ genere, &
ſuo tempore quæſita eſſe & ſemper e-
tiam quæri aliqua non neceſſaria.

Hæc itaq; præceptionis Lex admo-
dum eſt neceſſaria in arte breuiter, &
accuratè inſtituenda. Hac enim negle-
cta artes omnes infinitè cumulantur,
& quæſtionibus ſubtilibus magis quā
vtilib. onerātur. Hinc enim Didimus

Grammaticus quatuor millia librorũ de Grãmatica ſcripſit. Hinc tam multa etiã Chryſippus. Nã de una re infinita quæri poſſunt. Et vt Cic. ait 3. de Oratore, ea eſt natura artium omnium, vt ſi tota vita nihil velis agere, ipſa tractatio & quæſtio quotidie aliquid ex ſe gignat, quod cùm deſidioſa delectatione veſtiges, vnde fit vt agitatione rerũ ſit infinita cognitio. Et magna eſt ingenij humani curioſitas. Et vt Plinius ait, lib. 26. cap. 6. de re herbaria & medicina loquens. Hęc eſt in omni rę animorum conditio, vt à neceſſarijs orſa primum cuncta venerint ad nimium. Vnde & Cicero Philoſophos plura ſibi quàm neceſſe eſſet, quærenda propoſuiſſe affirmat.

Neceſſarium itaq; eſt hoc pręceptũ; neq; enim ſtatim, omne quod verum eſt, vtile eſt, & ad artis finẽ neceſſariũ, nec ars breuis præſertim omnia ſibi quæ verè etiam dici poſſint, tractanda proponit, ſed ea ſolùm quæ cũ fructu aliquo tractari poſſunt. Hoc de utilita-

te

te doctrinę pręreptũ à multis proposi tũ est. Thucydides inquit: κράτιστον ἐν τοῖς ἀναγκαιοτάτοις παιδεύεσθαι. Et Isocrates in laudatione Helenæ. Multo, inquit, satius est de bonis, & vtilibus rebus præclaram sententiã, quàm inutilium exquisitã habere scientiam: Itemq; in magnis modicè excellere, quàm lõgè præstare in paruis, & nihil adiumẽti ad hanc vitam adferentibus. Et pręclarè Viues lib. 1. de tradendis disciplinis: Omnem artium contemplationẽ naturæ & rerum, vel ad vitæ cõmoda vel ad admirationem authoris transferamus. Vtramq; autem hanc legẽ de ueritate & utilitate proposuit Plato quidem in Minoẽ. Galenus autẽ ad Thrasybulum, verum de veritate & vsu doctrinę iudicare eius est, qui ętate & vsu valet, & in doctrinę meditatione & exercitatione diu & sedulò versatus est: Rudiorum autem est & imperitiorũ, quorum ad huc infirmum iudiciũ est: ex iudicio & authoritate præceptorũ pendere. Nam vt Aristotiles ait lib. 1.

Elench.ca.1.Discētē oportet credere, Et hactenus de vtilitate prçceptionū.

Quid est Praeceptio affirmata?

Est in qua pars cōsequens de antecedente affirmatur, negata cōtrá. Nō igitur vera tantùm & vtilis: Sed etiā affirmata prçceptio bona esse debet. Affirmatio enim vt ait Aristotiles lib. 1. post.cap. 21. negatione & prior natura & notior est. Prior est, quoniā esse, prius est, quàm nō esse. Affirmatio autem eius quod est. Negatio autē eius quod non est. Ac proinde affirmatio doctrinç est scientia, & scientia τοῦ τί ἐστι, καταφάσεως est, vt ait Aristotiles ca. 11. Notior autē quod confirmandæ negationi affirmatio adhibeatur. Et ex affirmatione negatio ferè intelligatur. Qui enim intelligit quid res sit, intelligit etiam quid res non sit. Vt exempli caussa. Philosophi, inquit Lactātius assecuti sunt, ut de Deo & religione vera intelligerent quid non sit, illud autē assequi nequiverunt vt intelligerent quid sit. Et Cicero inquit: Vtinam tam

facilè

facilè vera inuenire possem, quàm falsa conuincere. Affirmatio igitur negationis fundamentum, regula est & index vt linea recta curuæ, & sanitas morbi.

Deniq; affi matio, vt veritas ipsa, & rei cuiusq; natura: Simplex & definita est. Negatio autẽ varia & infinita: pauca enim sunt, quibus rei cuiusq; natura constat, quæq; ferè verè & necessariò affirmari possunt: quæ autem de re negari possunt, infinita sunt: vt linea recta vnica est. Curuę penè infinitę, quare negatio ἀόριστος est.

Ac proinde negatio & inficiatio nõ tàm doctrinæ, Scientiæ & artis est, quã insçientiæ, vitij, atq; erroris: nec tã docentis est quàm dedocentis & refutantes opiniones falsas, & errores in agẽdo cõmissos corrigentis. Vt cùm præceptor scriptum discipuli corrigit, nõ solũ virtutes orationis vel leges Grãmaticas, Rhetoricas & Dialecticas expendit: sed etiã vitia & errata ad easdẽ leges, negando corrigit & emendat.

Itaq; non tàm ad artem quàm ad artis commentarios & vſum atq; exercitationem ſpectat negatio.

Hæc itaq; lex ex artis cõpendio prçcepta negatiua tollit. Item Elenchos (id eſt, inficiationes) & refutationes falſarũ opinionum & vitiorum artis, qualia ſunt in Grãmatica, Solœciſmi & Barbariſmi à Grãmaticis traditi. Itẽ in Rhetorica exordiorum, narrationũ, propoſitionum, partitionũ, Epilogorum vitia. In Dialectica Paralogiſmorũ & Sophiſmatũ doctrinæ. Quæ omnia in arte breuiter & accuratè inſtituenda, omittenda ſunt. Neq; igitur præcepta ipſa negatiuè concipi debent: neq; affirmationi negatio ſemper aut temerè addenda eſt. Sicut in Grãmatica cùm lex propoſita eſt de cõuenientia adiectiui & ſubſtantiui in numero, genere & caſu: Non opus eſt omnes cõtrarios Solœciſmos præceptis perſequi, nempe quod cõtra eam legem fiant Solœciſmi. Primò numero, deinde genere, tũ caſu, tum numero & genere,

nere, tũ genere & caſu. Poſtremò omnibus his ſimul: id eſt, tot modis non conuenire adiectiuum & ſubſtantiuũ, quod ἀτεχνία potiùs quàm τεχνὴ eſt. Cuiuſmodi ἀτεχνίας ludus in Scholis in Magiſter legit, exerceri ſolet, Et bonus Deus. Principia enim: id eſt, præcepta artium affirmata tàm perſpicua eſſe debent, vt contrarijs vitijs inde nihil nec certius nec notius ſit, vt in Ariſt. lib. 1. Phyſ. cap. 1.

Interdũ tamen idq́; parcè cùm ex negatione lux aliqua affirmationi accedere poſſit (contraria enim iuxta ſe poſita magis illuceſcunt) nõ incõmodè ea (negatio) huic ſubijci affirmationis cauſſa poſſe videtur. Vt exẽpli cauſſa. Cùm Dialecticus Syllogiſmũ affirmatiuũ definiuit, qui ex utraq; antecedẽtis affirmata cõſtat. Negatum autẽ qui ex altera tantùm affirmata cõſtat. Negatio hîc addi poteſt: Ex puris igitur: id eſt, vtraq; antecedẽtis negata nihil cõcludi. Item, cùm definiunt vniuerſalẽ ex vtraq; vniuerſali. Particularem autẽ

ex altera tantùm vniuersali, negatio subijci potest: Ex puris: id est, omnibus particularibus, nihil simpliciter cõcludi. Item cùm Dialecticus primã Syllogismorũ siue Figuram siue Genus defi niuit, esse dispositionem, in qua argumentum: (id est medium) antecedit in propositione, sequitur in assumptione (s. affirmata) subijci non incõmodè potest negatio. Proinde propositione particulari aut assumptione negatiua, in prima figura vitiosam aut nullã esse consequentiam. Sic in Ethicis vitiorũ descriptio, propter peccantiũ frequentiam necessaria videtur, & leges magis plerũq; prohibent quàm docẽt, quòd malis moribus sint oppositæ, & in his ipsis admonitiunculis de arte accuratè instituenda perpetua ferè fuit affirmationũ & negationum Anthitesis, & post etiã erit, quod id ad has admonitiones rectiùs intelligendas, earumq; vsum plurimum facere videatur.

Hæc itaq; Lex si ad Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Fabij, Galeni, aliorũq; similium

ſimilium doctrinā in artis compendiū redigendam adhiberetur: eaq́; falſarū opinionū Elenchi (id eſt, infinitiones) & refutationū inficiationes tollerentur, vix Catholica decima doctrinæ pars eorum ſcriptorū ad artem accuratè inſtituendā idonea foret. Atq; hæc de Pręceptione affirmatiua, quam tradidit etiam Ariſt.cap.4.1.poſt.

Quæ eſt præceptio Catholica?

Eſt in qua pars cōſequens de antecedente & omninò & ſemper vera eſt: Eademq́; vniuerſalis ſeu perpetualis, vt vertit Fab. lib.2.cap.13: Item neceſſaria dici poteſt. Galenus etiam cōmunem, firmā, perpetuam, æternā appellat. Nec tàm ſigni, ut vocant, vniuerſalis adiunctione, quàm rerum inter ſe cōuenientia, pręceptio Catholica æſtimatur: vt Deus eſt bonus. Sol lucet. Ignis vrit.

Quo pacto autem exiſtat & animo concipiatur notitia vniuerſalis docet Ariſt.lib.1.poſt.cap.14.&18, nempe notitias rerum vniuerſales non informatas

matas in animis noſtris à natura ipſa eſſe. Sed colligi facultate intelligētiæ, animi naturali & ingenita: vt oculus colorum ſpecies, ab vtero non attulit ſed facultatem attulit naturalem, omnia colorata videndi. Item vniuerſaliū, nō ἕξις, ſed δύναμις animis noſtris naturalis eſt ex ſententia Ariſtotilis.

Colligitur autem & paratur notitia Catholica, vt ad definitionem artis etiam ſuprà diximus exemplorum ſingularium & ſenſu obſeruatorum, inductione & abſtractione. Abſtractio enim ſeu ἀφαίρεσις nō ſolùm mathematum eſt, ſed omniū omninò artium cōmunis, vt docet Ariſt. ca.6.lib.13. Metaph. qua abſtractione cōmunis quædam Idæa à multis ſingularibus rebus & exemplis animo abſtrahitur, & quaſi ex multis calculis vna ſumma cōficitur. Quare pręceptio Catholica ad docēdum expeditior & efficatior eſt, qđ quaſi multas multorum & hominū & annorum experientias in unam ſummā collectas cōtineat atq; proponat.

Contrà

Contrà verò experientia ipſa quæ & tarda & difficilis & lubrica etiã atq; periculoſa in tanta vitæ breuitate ad docendum minimè eſt idonea: vnde Galenus lib. 6. de tuenda valetudine: Doctrina, inquit, quæ Methodo traditur, cùm cõmunia generaliaq́; complectatur, ad multa particularia, tũ facilè recordabilis, tum verò cõpendiaria efficitur: & lib. 2. de alimentorũ facultatibus: Vniuerſalia, inquit, præcepta, ſi vera ſunt, multa paucis verbis docent, quemadmodũ ſi falſa ſunt, multũ ſunt pernicioſa. Et lib. 9. de Dogmatis Hippocratis & Platonis: Vniuerſalem, inquit, Methodum, vnius anni ſpacio vel abſolutiſſimè quiuis diſcere poteſt. Vnde Ariſt. cap. 20. 1. Poſt. Vniuerſale inter alia ἐπιστημονικὸν & ἀρχοειδές. i. quòd maximè ſcientię cauſſa ſit & principio ſimile.

Ergò omniũ artiũ præcepta Catholica eſſe debẽt, & vt Galen⁹ ait ad Thraſibulũ ęquè perpetua & ęterna. Quòd verò non ſemper artifices in agendo,

verbi gratia, Medici, Mathematici, Grã matici, &c. finem artis assequantur, id non artis vitio fit, aut præceptionũ inconstantia, sed vel artificum negligẽtia aut errore, aut fortunæ culpa: in cuius potestate ex parte, omnium etiam artium opera sunt, vt reliquæ etiam actiones humanæ.

Hæc ergo conditio ex artibus excludit primum Singularia. Quæ cùm sint numero infinita & caduca atque mortalia, ideoque horum finita & perpetua cognitio & præceptio nulla vnquã esse potest: Quare res singulæ ab arte remouẽdæ sunt. Vt ait Aristoteles lib. 2. Eth. cap. 2. & Gal. lib. 2. De differentijs pulsuum non in Bione Pleuritico, sed in commẽtatione generum & specierum artes sunt positæ. Quare Plato à Generalissimis ad specialissima: id est, singularia profectos quiescere iubebat: eorum enim non posse fieri scientiam, vt ait Porphyrius in capite de specie, quem locum ex Philebo Platonis desumpsit.

Hîc tamen excipienda sunt ea singularia, quæ & numero definita sunt & perpetua sunt, ac proinde singularium aliorum omnium infinitorum & perpetuorum caussę & subiecta. Quorum primum omnium & maximè singulare est Deus ipse & mundi opifex, tum Dei opificium & ædificiū, hoc vniuersum, mundus, tum mundi huius partes essentiales, vt cœlum quasi ædificij laqueare. Terra quasi solum & pauimentum, tum quibus hoc pauimentū irrigatur & vertitur, aqua & aër, tū quæ ex cœlo, quasi lychni ex laqueare pendētes, lucem huic ædificio, eiúsque incolis præbent lumina Sol & Luna & Planetæ quinque, & si quæ aliæ Stellæ in cœlo numerari & obseruari possint, tum si quæ etiam in terra sunt perpetua. De ijs .n. & eorum natura & affectionibus, & inprimis de Deo certa & constans & necessaria scientia est, vt in Theologia, Physica, Astronomia tradi potest.

Deinde etiam hęc Lex Præcepti ca-

tholici, excludit Particularia. Cùm videlicet pars cõſequens de Antecedẽte non omninò, ſed quadã tantùm vera eſt. Sed hîc excipiẽda ſunt primũ ſpecialia, quę ex generali aliquo pręcepto deriuantur, eiuſmodi πορίσματα, & conſectaria multa ſunt in diſciplinis Geometricis, vt libro 3. Elementor. Euclidis.

Deinde etiam Præcepta Grãmatica hinc excipiẽda ſunt, in quibus multas ἀνομαλίας contra generales ἀναλογίας, partim vſus popularis, partim ratio aliqua inuexit. Quare hæ Anomaliæ Analogijs ipſis additæ pręceptum catholicum explebunt.

Tertiò, hinc etiam contingentia & fortuita tolluntur: id eſt, quę non ſemper vera ſũt, vt, Audẽtes fortuna iuuat, timidosq́; repellit, cuiuſmodi ſũt quæ à voluntate humana dependent, & exitus ipſe conciliorũ & actionum humanarũ. Hinc tamen etiã excipiẽda ſunt, quæ ordine naturæ fiunt etſi raró fiãt, vt ſunt Ecclipſes Solis & Lunæ, cometæ,

metæ, irides, niues, grãdines, fulmina, vẽti, &c. & reliqua eiuſmodi, de quorũ natura ſciẽtia eſſe poteſt, quod certas & definitas in natura cauſſas habeant. Quare Ariſtotiles ipſe 7. cap. 1. Poſt. hęc excipit & libris de cœlo & Meteorologicis doctrinã horum inſtituit, & ca. 24. primi poſt. de his loqui videtur cùm ait: Demõſtrationẽ conſtare propoſitionibus aut omninò neceſſarijs, aut quæ plerumq; ita fiunt.

Poſtremò, dubia & incerta hîc tolluntur, ſed ea tamen dubia, de quibus ſani & docti & artifices ipſi dubitant. Nam ea de quibus adoleſcẽtes, & imperiti aut parum ſani & malè inſtituti dubitant, ea ſanis & doctis atq; peritis certa eſſe poſſunt: vt rectè Ariſtotiles 6. Top. 2. cap. ait: Nõ omnib. perſpicuũ eſſe quod omninò & per ſe pſpicuũ ſit, ſed ijs demũ qui bene animo ſunt affecti, quemad. id quod omninò ſalubre eſt, ijs ſalubre eſt quorum bene affectũ eſt corpus. Itaq; etſi in Ethicis præſertim magnæ ſunt multorũ Epicureorũ

dubitationes, maleq; natorũ & institu torũ hominum, idq; maximè vitio labis natiuę, de Prouidentia Dei, de fine hominis, de iure naturę, an lege constet, tamen melius nati rectiusq; instituti de his minimè dubitant. Vnde & Aristotiles ipse auditorẽ & lectorem idoneum: id est, hominẽ honestum & modestum initiò Ethices requirit, qui non demonstrationes eius doctrinæ postulat, sed simplici doctrina sit contentus. Hæc igitur lex est præcepti catholici, quam Aristotiles vocabulis κατὰ παντὸς: id est, de omni, cap. 1. Post. & aliquot deinceps capitib. proponit.

Quæ est præceptio ὁμογένεια;

Est propositio in qua partes sunt essentiales inter se, eademq; συγγενὴς cognata, congener, affinis, familiaris, germina dici potest, Arist. 7. ca. 1. Post. καθ' αὑτό. i. per se appellat, vbi docet omnia quæ sunt in arte aliqua vno genere cõprehendi ἢ ἁπλῶς ἢ πῇ. i. aut absolutè aut quodãmodo. Absolutè sunt in eodem genere quæcunq; sunt inter se

proximè,

proximè,ut genus,differentia,ſpecies. Quodãmodo autem propriȩ affectiones acȩ per ſe adiunctæ qualitates cum proprijs ſubiectis. Sic & animal & rationale & homo abſolutè ſũt ὁμογένεια, συγγένεια & eſſentialia inter ſe. Facultas aũt loquẽdi,diſcẽdi,numerãdi,ridẽdi, canendi homini quodãmodo συγγένεια eſt.Summa igitur huc redit.Eſſentialia eſſe inter ſe cauſſas rẽ conſtituentes & rẽ conſtitutam. Quodãmodo autem ſubiecta & propria adiuncta. Eſt igitur ὁμογένεια præceptio in qua pars vtraq; eiuſdem ſit generis & eiuſdẽ quaſi familiæ & artis vnius.Non igitur ſatis eſt prȩceptiones eſſe veras,vtiles,affirmatas, catholicas niſi ȩtiã ſunt homogeneæ,ſicut Ariſtotiles,eodẽ cap.ait. Numeri tantùm eorumq́; genera, differẽtiæ,ſpecies, proprietates, in Arithmetica: magnitudines autẽ earumq́; genera,differentiȩ,ſpecies,proprietates, in Geometria tantùm docendæ ſunt. Secus.n.Arithmeticũ in Geometria ἀγεωμέτρητον fuerit.Geometricũ in Arith-

metica ἀνάριθμον fuerit. Quælibet igitur ars intra suũ genus se cõtinere debet, nec à genere alio in aliud trãsitus fieri debet: ne Grãmatica Dialecticæ, hæc Rhetoricę & contrà misceantur, néue pręcepta priorum artiũ in posteriorib. repetantur, aut posteriorũ à prioribus occupẽtur. Hęc igitur lex ἑτερογενείαν in artib. prohibet, & aliena omnia ex artib. tollit, & propria artis cuiusq; præcepta tuetur & munit, ne ab alijs occupantur: ἑτερογενείας autem exempla omnes ferè artes suppeditant.

GRAMMATICA primùm ferè vocum significationibus referta est Propriarum, Appellatiuarũ, Possessiuarũ, Deriuatiuarũ, Denominatiuarũ, Patronimicarũ, Verbalium, Participialium, Aduerbialium. Et in nomine priuatim recenset Priscianus & explicat nominum genera ad aliquid: quasi ad aliquid, gẽtile, patrium, interrogatiuum, infinitum, relatiuum, vel demonstratiuum vel similitudinis, collectiuum, diuidiuum, factitium, generale, speciale,

ciale, ordinale, numerale, absolutum (quod non est relatiuū) temporale, locale, tū corporale, incorporale, ὁμόνυμα, συνώνυμα, &c. Sic in verbo formæ & genera significationū Inchoatiuæ, Frequentatiuæ, Meditatiuæ, maximā partem occupant. De reliquis orationis partibus ultra significationē nihil ferè præcipitur. Sed hæc tota significationis doctrina in Grāmatica ἑτερογενὴς & peregrina esse videtur. Materia enim Grāmaticæ est sermo Vocabulorū popularis significatione notus: nec Grāmatica significationē vocabulorū quę ex Lexico & autoribus tāquam populo petenda est in linguis dictis, vt Latina, Græca, & Hebraica docere debet. Sed vsum tantùm sermonis, & ijs quidē reb. non quæ significantur, sed quæ adsignificantur, & quæ vocis præsertim habitum mutant, vt sunt numeri, genera, gradus, Casus, personæ, tempora, & inde natæ declinationes Nominum & coniugationes Verborum. Hæc enim in Etymologia syntaxis di-

ſcendę, docendæque cauſſa neceſſaria ſunt. Significatio vocum neceſſaria non eſt ad Syntaxin. Significationum igitur doctrina in Grammatica neceſſaria aut καθ' αὑτὸ non eſt.

Secundum. Quidam Grammatici, vt Diomedes & alij de Tropis & Figuris Rhetoricis in Grammatica præcepêre id non ex ὁμογένειον. Quod rectè indicat Fab. lib. 1. cap. 12. Hę ſunt, inquit, emẽdatè loquendi ſcribendique partes: duas reliquas ſcienter ornateque dicendi non equidem Grammaticis aufero. Sed cùm mihi officia Rhetoris ſuperſint, maiori opere reſeruo. Q. d. Etſi hæc docent Grammatici, tamen ad Rhetorum officiũ propriè ſpectãt.

Tertium. Fabius Grammaticæ partẽ fecit Hiſtoricen in explicandis poëtis, quem ſequitur Diomedes. At ea pars non eſt Grammaticæ propria, ſed multarum artium communis, nempe pro materiæ varietate, quæ à Poëta tractatur. Si enim mores tractat, Ethicæ ſunt. Si numeros. Arithmeticę.

Si res naturales, Physicæ. Si Res gestas, historiæ. Itaque Grammaticus cùm Poëtam interpretatur, non solùm Grã matici, sed etiam Ethici, Arithmetici, Physici officio fungitur.

In *RHETORICA* quæ est ars sermonis beneque dicendi, doctrina inuentionis, dispositionis & memoriæ traditur, quæ non sermonis propria, sed mentis & rationis est: ideoque Logica seu Dialectica. Inuenire enim & disponere secum liceat, vt ait Arist. 1. cap. 8. Top. etiamsi nullum quis verbũ faciat, memoria autem dispositionis vmbra est. Hæc igitur doctrina Rhetoricæ Homogenea & propria non est. Quare & Aristotiles lib. 1. Rhet. gloriatur se ex Dialectica in Rhetoricam hæc transfudisse. Sed Rodolphus lib. 2. cap. 25. de Inuentione & lib. 3. ca. 8. de dispositione, hac eadem rursus Dialecticæ vendicat.

In *LOGICA*, quæ vt ait Arist. lib. 1. cap. 8. Post. mentis & rationis tantum est. In hac primum est nominum, ver-

borum

borũ homonymorum, ſynonymorũ, paranymorum, adeoque orationis doctrina: quę doctrina Grammatice propria eſt, vt ipſe Ariſt. Top. 1. ait: Vtile eſt, inquit, obſeruare quot modis vocabulum accipiatur. Sed hæc de vocabulis cõſideratio nõ eſt propria Dialecticæ.

Deinde in Dialectica eſt doctrina prædicamentorum & inuentionũ tradita. Eſt autem Prædicamentum nihil aliud niſi rerum homogenearum per generaliſma, ſubalterna & ſpecialiſma deſcriptio. Hæc autem rerum deſcriptio Dialecticæ propria non eſt. Eſt.n. talis rerum κατηγορία & deſcriptio nihil aliud eſt quàm ars in genere. Ars enim nihil eſt aliud quã rerum Homogenearum per Genus, genera ſubalterna & ſpecialiſma, Methodus, comprehenſio, diſpoſitio, ordinatio. Sic enim Arithmetica rectè deſcripta numerorũ. Sic Geometria rectè deſcripta magnitudinum κατηγορία eſt: Dialectica autem inueniendæ & diſponendæ & artis & rei cuiuſque Regulas Genera-

les & communes tantùm tradit, artes omnes & res ipſas ſingulas in præceptis ſuis, nec ponit nec ponere poteſt niſi exempli cauſſa. Doctrina igitur Prædicamentorum.i.artium omnium Dialecticæ Homogenea non eſt. Vnde eſt Rodolphus qui accuratiſſimè Dialecticam ſubduxit eam doctrinã, vt non Homogeneam prætermiſit. Et Ariſtoteles ipſe in Rhetorica ſua, quã tamẽ æquè generalem eſſe vult atque Dialecticam, non tractauit. Deinde in ipſis prædicamentis. Eſt primum κατηγορία ſubſtantiæ .i. doctrina de Deo & Angelis, de ſubſtãtijs corporibus, ſimplicibus, vt cœlo, aëre, aqua, & terra. De compoſitis inanimatis quidem, vt ſunt aſtra in cœlo, meteora in aëre, aqua & terra, Maria, Flumina, Fontes, Lapides, Metalla, tum de viuis & animatis, vt ſunt ſtirpes, pecudes, homines. At hęc doctrina Theologię & Phyſicæ propriè Homogenea eſt, non igitur Dialecticæ.

Deinde eſt κατηγορία Quantitatis. i.

doctrina

doctrina & deſcriptio numeri & mā-
gnitudinis: quę cùm propria & Homo-
genea ſint, aut potius ipſa ſubiecta ge-
nera Arithmeticæ & Geometriæ non
ſunt Dialectices. Porrò in hac ipſa do-
ctrina Quantitas ſpecialiter ponitur
Locus, tempus, & oratio. Illa duo vt
Quantitatis continua hæc vt diſcreta.
Sed hęc ipſa non ſunt Quantitates per
ſe, ſed quanta (.i. res capaces Quanti-
tates) nec ex his res vlla quanta dici-
tur, ſed ipſa ex Quantitate, vt dixi, quā-
ta. Vt locus magnus & paruus, Tem-
pus lōgum & breue: oratio breuis aut
prolixa. Quare non ſunt per ſe Quan-
titates, nec Quantitati Homogenea.

Præterea eſt doctrina Qualitatis in
habitu & diſpoſitione patibili, Quali-
tate, Potentia naturali & impotentia.
Sed hęc Phyſicę doctrinę propria ſunt,
ideoque non Dialecticæ. Itaque Ari-
ſtotiles ipſe 8. & 25. Capitibus lib. 1.
Poſt. hæc ipſe vt ἑτερογένεια à Dialectica
ſeparat, cùm docet alia eſſe principia:
id eſt, præcepta omnibus rebus com-
munia,

munia, quæ ſola propriè ad Dialecti-
cā ſpectant:vt de quolibet eſt affirma-
tio aut negatio, vera, de nullo vtraque.
Alia quæ ſingularum artium propria
ſint, vt quæ ad magnitudines & nume-
ros ſpectant. Et lib 11 cap. 21. lib. 1. E-
lenchorum: Dialecticus nullum certū
genus habet in quo verſetur, nec om-
nium rerum cōſiderationem ſuſcipit:
neque enim poſſunt res omnes ſub v-
num genus cadere, vt lib. 1. ca. 2. Rhet.
Nec Dialectica nec Rhetorica, inquit,
definita rei ſcientia eſt. Quare qui pro-
prias artium aliarum res & materias in
Dialecticam trāsfert, fines artis vtriuſ-
que egreditur. Et cap. 4. Qui Dialecti-
cam aut Rhetoricam non vt δυνάμεις:
(id eſt, generales artes) ſed vt ἐπιστήμας:
id eſt, ſpeciales rerum artes, tractat,
earum naturam imprudens euertit, &
dum eas ornare & locupletare ſtudet,
in ſcientias alias tranſit, quæ res certas
ſubiectas habent, non autem rationes
& argumenta tantúm. Et cap. 12. lib.
1. Topicorum de inſtrumentis quibus
copia

copia disserendi paratur, præcipit, ex omnibus artibus sententias esse sumẽdas, easque distinguit in Logicas, Physicas, & Ethicas. Et ca. 20. Lib. 1. priorum περὶ εὐπορείας προτάσεων etiam ad facultatem disserẽdi affirmat. Omnium & singularum artium cognitionem esse necessariam. Quod igitur in Genere de tota arte Logica dicit, id etiam de specie, nempe inuẽtionis Generum & Differentiarum in rebus omnibus, & ad facultatem definiendi & diuidendi res omnes intelligẽdum est. Cujus doctrina non in Dialectica tradi potest, sed ex omnibus & singulis artibus colligenda est. Hæc igitur in Dialectica Homogenea esse non videntur.

In *ARITHMETICA* tantùm numerus homogeneus est, magnitudo homogenea non est, vt ait Arist. lib. 1. Post. Itaque in Arithmetica numerus, qui ex magnitudine naturam & nomẽ sortitur, & quasi magnitudinis vmbra & simulachrum est, Homogeneus nõ est. Hujusmodi sunt numerus quadratus &

tūs & cubicus & latus & eius inuētio: ea enim Geometrica ſunt, nec intelligi poſſunt ſine magnitudinū, nempe quadrati, cubi & lateris cognitione, pictura etiam & deſcriptione: quæ cùm Geometriç homogenea ſint, etiam numeri qui ex ipſis naſcuntur & earum ſunt appendices, ibi homogenei ſunt: nam numeri, vt ait Ariſt. 1. Poſt. interdum fiunt magnitudines.

In *GEOMETRIA* quæ eſt ars magnitudinis ſeu ars benè metiendi quāuis propoſitam magnitudinem. Primū axiomata ſunt, quæ eidem æqualia inter ſe ſunt æqualia. Si æqualia æqualibus addantur tota erunt æqualia. Hæc tamen Ariſtot. 8. cap. 1. Poſt. non Geometriæ, ſed Logicæ propria eſſe affirmat. Sunt enim loci comparatorum, ſicut inquit: Hæc, in qualibet re eſt affirmatio aut negatio vera, Logicum & generale axioma eſt: ſic & illud: Si æqualia æqualibus auferantur, reliqua ſunt æqualia. Deinde tres libri Euclidis 7. 8. 9. doctrinam numerorum in-

ter magnitudines explicant : id ex ſententia Ariſtotelis, ibi non eſt homogeneum.

In *PHYSICA* diſputatio eſt generalis, de cauſſis, motibus (.i. affectibus) loco, tempore. Ea Phyſicę non eſt Homogenea, ſed Logicæ, nō enim rei naturalis ſolum ea adjuncta ſunt, ſed omnis omnino rei naturalis & non naturalis communia attributa. Nam de cauſſis quia omnium rerum ſunt communes non dubium eſt. Et Ariſtotiles 2. cap. lib. 4. & 3. ca. 11. libri Philoſophię cauſſas ait eſſe entis primas differentias, ſpecies, & affectiones per ſe.

Sic de motu doctrina generalis Logica eſt, & tam latè patet quàm effectus cauſſæ efficientis. Quare & Ariſtotiles ipſe efficientem cauſſam etiam mouentem appellat 3. cap. 1. Philoſophiæ, & 3. cap. Phyſi. Cauſſa efficiens, inquit, eſt principium motus & ſtatus ſeu quietis. Deinde agere & pati idem eſt Ariſtotili, quod mouere & moueri, 3. cap. 3. Phyſic. & alias ſæpé. Motus ergo idem

go idem est quod effectus. Vnde & Arist. ipse eodem loco quæstionem hãc, Vtrum mouere & moueri sit idẽ quod agere & pati, dubitationem Logicam appellat, disputatque actionem & passionem motum esse vnicum, ratione tantùm differẽtem: vt motus idem est in magistro δίδαξις doctrina, in auditore μάθησις disciplina: Eademque via est Thebis Athenas & Athenis Thebas. Si igitur Actio & Passio Logicæ propria est: motus autem idem quod Actio & Passio est, ergo motus Aristotile ipso autore Logica res est. i. effectus caussæ efficientis. Vnde & 3. ca. 8. Physic. cùm eos refellit, qui omnia quiescere arbitrabantur hoc inquit affirmare mentis quędam impotentia est, dubitatioque de toto genere (.i. Philosophia non de parte solùm, neque solũ aduersus Physicam, sed etiam aduersus omnes artes: nã omnes artes motu vtũtur. Quare & Plato in Sophista, in Parmenide & alibi genera *entis*, communia exquirens, numerat motum & statum.

Sic de loco ipſe Ariſtotiles generaliter affirmat etiam incorporearũ rerum locum eſſe vt 10.cap.8. Phyſi. primi motoris locum ait eſſe in ſuprema mundi ſuperficie. & 3. cap.1. de cœlo ait gentium conſenſu ſupremum mundi locum Deo attribuit:& 1.ca.6.Phy. & 8.cap.3. libri de cœlo figuris mathematicis & triangulo, quadrato, ſexangulo locum tribuit, eaque locum implere ait: Locus itaque ad omnes res generalis affectio eſt.

Tempus igitur eodem modo vt locus rebus omnibus competit. Itaque & hæc ipſa doctrina, vt communis & generalis omnibus artibus & rebus eſt ab Ariſtotile in logica ipſa tractata. Cauſſarum quidem Doctrina ferè totis poſterioribus Analyticis, ſed præcipuè 11,12,13,& 17.capitibus. Motus in Poſtprædicamentis & in Prædicamento actionis & paſſionis: Loci & tẽporis doctrinã duabus categorijs Vbi & Quando tractauit: & paulò antè ſpecies fecit locum & tempus. Eãdem

doctri-

doctrinam repetit in Methaphy. caussa rum quidem totis duobus primis, Phi losophię, libris. Motuum autem doctri nã 9. c. lib. 11. ijsdem penè verbis repe tit, quæ tribus primis capitibus tertij Physici deseruit. Aristotiles autẽ Philosophiam (.i. Methaphysicam) logicæ subjecto parem facit, vtpote, quæ vtraque sit generalis & circa τὸ ὄν, res omnes versentur. Vt 1. ca. li. 3. Methaphys. & in primis 2. cap. lib. 4. vbi disertè sic scribit: Dialecticus Sophista & Philosophus (.i. Methaphysicus) eodem prorsus munere fungũtur, & circa idẽ prorsus subiectum versantur. Sed diuersimodé. Sophistica enim speciem tantùm veritatis habet & fallendi propositum. Dialectica autem in vtramq; partem disserit, & tentat magis quàm docet (: id est, elicit opiniones alterius, is qui docet) Philosophia autem veritatem vel ijsdem quærit & simpliciter docet. Subjecto igitur Philosophia Dialecticæ par est: & quæ in philosophia traduntur vt doctrina

caussarũ, motuum, &c. Dialectica est.
Horum igitur generalium & communium caussarum, motuũ, locorum, temporum, generalis doctrina in Physica speciali homogenea non est. Physica enim propriè corpus tãtum naturale, sensibile & mobile quatenus sensibile & mobile est considerat. vt 7. ca. 3. Physico. Aristot. & 3, cap. 8. Phy. & 7, cap. 3. de cœlo affirmat. Hæc autem, caussa, motus, locus, tempus, non tantùm naturalium, sensibilium & mobilium, sed etiam artificialium, intelligibilium & immobilium & omnium omninò rerum attributa sunt: ac proinde non Physica, sed Logica sunt.
Et hactenus exempla Regulæ fuerunt, sed hîc iure alicui in mentem venire potest, an non eiusmodi & vera sint, & ijs etiam locis ad reliqua intelligenda vtilia & necessaria? R. verum est & ea vera esse & vtilia etiam ac necessaria ferè, sed non propterea sequitur ijs locis & artib⁹ esse Homogenea aut necessariò tradẽda. Hoc.n. colore
vtili-

vtilitatis, & necessitatis omnes artes priores natura in posteriores trãsfundi possũt, quod posterior ars sine prioris cognitione nec tradi nec disci, non exerceri possit. Sic Grãmatica necessaria est Rhetoricæ, Dialecticę, Arithmeticę, Geometrię. Ergo in quauis harum præcepta Grammatica vtilitatis & necessitatis nomine erant repetẽda: quare etiam in Arithmetica de Regulis loquẽdi præcipi potest. Denique omnes artes, aliquo modo omnibus vtiles & necessariæ sunt, quare omnes inter se misceri possunt.

Atque hoc pretextu Grammatici olim omnium rerum cognitionem sibi vendicarunt. Rhetor similiter. Poëta eodem modo. Sic medicus: sic Jurecõsultus. Atque ita suæ quisque pomeria latius olim protulerunt, & sæpè proferre solent. Quare non verum est quicquid vtile & necessarium ad artem aliquam intelligendum. Sed hoc verum est & cõsectarium, eum qui artem aliquam discere & cum fructu exercere

velit, etiam alias omnes artes quæ ad eius artis cognitionem ſunt neceſſariȩ vnà diſcere debere: vt qui Rhetor eſſe velit, & Grammaticam & Logicam diſcat neceſſe eſt. Qui Logicus eſſe, omnes artes vnà diſcat. Vnus enim homo omnium artium ſcientiam & vſum conjungere poteſt. Inſtitutiones tamē & præcepta ſingularum diſtincta eſſe debent, vt in vita poſſeſſiones diſtinctȩ ſunt, ſed varijs contractibus, vſus earū communis fit. Sic vna Ars ab arte altera, non præcepta ipſa accipit, ſed præceptorum tãtùm vſum & opus ab ipſis elaboratum. Sic à Grammatica omnes artes ſermonem purum accipiũt, ſermonis præcepta non accipiunt. Sic ex Dialectica Inuentionem & Diſpoſitionem, nō Inuentionis & diſpoſitionis doctrinam, reliquæ omnes artes mutuantur. Sic ab Arithmetica numeros, non doctrinã numerorum: à Geometria magnitudinem, non magnitudinis doctrinam, & ſic de alijs.

Atque hac inprimis ratione, artes ſpecia-

ſpeciales ſemper à Generalibus rationes ſuarum præceptionum accipiunt.

Sic axioma Logicum, eidem æqualia inter ſe ſunt æqualia numeris & figuris explicandis rectè adhibetur. Sed præceptum ipſum non repetitur aut eo loco neceſſariò traditur. Sic numerus Arithmeticus, ſonis, figuris, aſtris, cæteriſq; omninò omnibus rebus numeralibus accommodatur. Sic magnitudinis doctrina Geometrica, opticæ, Aſtronomiæ, Mechanicæ, alijsque adhibetur. Hac ergo Lege præcepta artium diſtinguuntur & fines reguntur.

Vſus autem artium communis eſſe poteſt. Aliud enim eſt præcipere, aliud præceptis vti. Atque hactenus præceptio Homogenea fuit.

Quid eſt præceptio Reciproca?

Eſt in qua Prædicatum ſubjecto nō ſolùm omni & ſemper, ſed etiam ſoli conuenit, ac proinde Proprium eſt. Vt cùm definitio de Definito aut partes eſſentiales de toto, aut proprium ad-

iunctum de proprio subjecto dicitur. Vt homo est animal rationale. Animal est vel Homo vel Bestia. Homo ratiocinatur & loquitur. Hæc enim Reciprocè etiam vera sunt. Vt animal rationale est homo, vel Bestia animal est. Qui ratiocinatur & loquitur Homo est. Aristotiles καθόλȣ.i. catholicum 4.ca.1.Post.& καθόλȣ πρῶτον.i. catholicũ primum. 5.ca. 1.Post.& ἀντίστροφον reciprocum 17.cap.2. Posterior. Porphyrius ἴδιον κυρίως.i. præcipuè proprium. Hæc autem lex vt postrema est: ita omnium accuratissima & seuerissima, & ad artes ipsas breuiter instituẽdas & iudicia discentium de artibus formanda efficacissima, quæ non malè Lex sapiẽtiæ, vt proxima Iustitiæ, tertia ab hac veritatis appellari possit. Imo verò cùm hęc Lex reliquas omnes superiores in se cõtineat, Et veritatis & Iustitię & sapientiæ Lex appellari potest. Est.n. Regula Regularũ vt aurea regula. hic.n. fons est omnis artis & scientiæ solidæ.

Duplex igitur est in hãc legem peccatum.

catum. Vnum eſt cùm ſpeciale attributum generali ſubjecto tribuitur, aut inferius aut anguſtius de ſuperiori & latiori dicitur. Vt ſi animal diceretur rationale, quod perinde eſt, ac ſi veſtis pumilionis Giganti tribuatur. Ariſtotiles hoc poſterius tractauit, ſed nos ordinem propoſitum ſequamur.

Hujus igitur peccati vnicum tãtùm exemplum eſt: id enim breuius tractat quod in Legem κατὰ παντὸς incurrat, vt ſi quis de Figura in genere doceat. Figurã habere tres angulos duobus rectis æquales, ea enim affectio, vt ſentit Ariſtotiles, trianguli ſolius eſt propria non communis omni figuræ. Vt triangulo, quadrato, ſexangulo, *&c.* Quare hîc propoſitio vel fieret particularis & in quartã legem peccaret: vel ſi ea affectio generaliter de figura doceatur, falſa ſit & in legem primam peccaret. Hac igitur Lege Priſcianus lib. 3. de 12. verſibus Aeneidos comparationis accidens Aduerbio adimit. Accidentia, inquit, Generalia & cõmunia, omnibus ſpe-

ſpeciebus dictionis eius, cui accidunt, eſſe debent. Comparatio autem non omnibus Aduerbijs accidit, quare cõparatio Accidens Aduerbij non eſt. Quare & in nomine idem (Priſcianus) nõ recitat inter accidentia nominis vt alij comparationem, ſed cõparatiuum tantùm nomen ſpeciem nominis efficit. Eſt enim adjectiuorum tantùm, eorumque non omnium.

Poſterius peccatum eſt cùm ſpeciali ſubjecto attributum generale tribuitur, vt ſi de homine doceatur, quod ſentiat. Hîc enim de inferiori ſuperius, & latius dicitur. Sentire enim non ſolùm homini proprium eſt, ſed omni animanti commune eſt, quod perinde eſt, ac ſi quis pumilioni gigãtis veſtem induere conetur. Hoc ergo peccatum Legis huius proprium eſt: nam poteſt præceptum eſſe catholicum, Homogeneum, & tamen in hoc vitiũ incurrere.

Huius peccati tria exempla ſunt apud Ariſtotilem.

I. Si quis doceat lineas rectas non

concurrere.i.paralelas esse.

II. Si quis doceat de angulo ęquicruro, quòd tres angulos duobus rectis æquales habeat.

III. Si quis de numero aut magnitudine seorsim proportionem ἐναλλὰξ doceat. In his enim tribus exemplis, generalis affectio speciali subjecto tribuitur. παραλλήλισμος non solùm rectis lineis, sed etiam obliquis conuenit. Quare Euclides qui 35. definitione primi paralelismum de rectis tantùm lineis docuit, in hanc legem commisit. Deinde æqualitas trium angulorum cum duobus rectis triangulo in genere & omnibus eius speciebus cōuenit, quod ex hac lege rectè Euclides 32. docuit. Propost. 1. Postremò Analogia illa Logica est, & numero, lineis, solidis, tempori, adeoque omnibus rebus communis est. Quare Euclides in hāc legem commisit, quod etiam lib. 5. in magnitudinib. & li. 7. in numeris seorsim docuerit.

Sed hîc dicat aliquis fortasse, idémne est

ne est de singulis speciebus & de toto genere quippiam docere? R. Re ipsa fortasse quidem idem est: doctrinæ autem commodo, & compendio accuratiore & profectiore non est idem. Si quis, inquit Aristotiles de secundo exẽplo differens, de qualibet triãguli specie, vt de æquilatere, æquicruro, vario, generalem illam angulorum affectionẽ doceat, nondũ tamen rem totã intelligi, nisi σοφιστικὸν τρόπον: nõdum.n.scit auditor, quòd illa affectio generalis sit & omni triangulo communis quatenus triãgulus sit. Deinde pluribus præceptis docetur, quòd vna præceptione doceri posset, & tres fiunt doctrinæ speciales pro vna generali, vt pro vna hac propositione omnis triangulus habet tres angulos, duobus rectis æquales, fiunt tres propositiones æquales. Triangulus æquilaterus habet tres angulos duobus rectis æquales. Triangulus ęquicrurus habet tres angulos duobus rectis æquales. Triangulus varius habet tres angulos, duobus rectis æquales:

quales: quod irrita tantùm repetitio est & Tautologia inanis. Quam etiam Aristotiles lib. 1. de partibus animaliū reprehendit. Est enim vitium quod maximè cum artis compendio pugnat. Hæc igitur Aristotelis est de hoc peccato Doctrina. Nos autē, vt magis intelligatur, exempla quædam aliunde repetamus.

In *GRAMMATICAE* Etymologia species & figura per omnes vocū species repetuntur. Cùm autem accidentia sunt generalia & vocum omnium communia, adeoque ex hac lege ante vocis diuisionem & partes semel tradendæ erant: si ars ea ex hac Lege instituenda erat.

In *GRAMMATICA* etiam Græca Circumflexorum & verborū in μι doctrina & paradigmata integrè repeti & exponi solent .i. generalis doctrina in specie repetitur. Quare Cleonardus hac lege vsus id vitauit & specialem tātùm doctrinam de ijs temporibus, quę ijs verbis propria sunt, tradidit, vt in

vtrisq;

vtriſque præſens & imperfectum propria tempora ſunt. Aoriſtus etiam ſecundus in verbis in μι.

In duabus artibus Dialectica & Rhetorica doctrina Inuentionis inſigne exemplum hîc ſuppeditat: nam in vtraque arte pars artis ſtatuitur Inuentio, ſed in vtraque magis ferè ſpecialiter quã generaliter exponitur. Sic in Rhetorica triplex ferè ſpecialis inuentio proponitur pro vna generali. Prima eſt per Genera cauſſarum. Secunda per ſtatus: id eſt, quæſtiones vnius generis iudicialis. Tertia per partes orationis, Exordium, Narrationem, &c. Poſt has tandem Inuentio quaſi generalis à Fabio præſertim exponitur, quæ tamẽ & ipſa in perſonas & res deducitur, atque itidem ſpecialiter exponitur. Vnde quatuor fiunt inuentiones ſpeciales pro vna generali.

In *DIALECTICA* itidem ſpecialis Inuentio pro generali plerumque proponitur. Eaque duplex, vna Perfecta, altera Imperfecta.

Perfecta prima eſt quæſtionum ſimplicium & conjunctarum. Secunda eſt quæſtionum primum neceſſariarũ, quę ab Ariſtotele in duobus Poſt.Analit.traditur. Vnde & hęc in pręſentia de artibus breuiter & accuratè inſtituendis repetimus.

Secunda veriſimilium quę in topicis traditur, ſed ea etiam ſpecialiter per quatuor Quæſtiones nempe accidentis, generis proprij & definitionis traditur.

Tertia eſt Sophiſticarum, quæ in Elenchis ab Ariſtotile traditur.

Tertia perfecta ſpecialiſma eſt, nẽpe generum & differentiarum inuentio, quæ in Prædicamentis traditur. Quam ideo Araſtus, vt ſcribit Porphyrius Topicis proponebat & τὰ πρὸ τοπικῶν appellabat.

Imperfectæ duæ ſunt, quarum prior eſt prædicabilium quinque generis, ſpeciei, differentiæ, proprij accidentis. Altera Poſtprædicamentorum, vbi quinque tantùm loci exponuntur, cõ-

trarij, prioris, ſimul, motus & habitus. Hæ igitur ſpeciales ſunt in duabus artibus inuentiones.

Si ergo ex hac lege ars altera accuratè & breuiter inſtituenda ex omnibus iſtis ſpecialibus inuentionibus generalis vna colligenda erat, eáque generaliter tradenda, ſed vſu & exercitatione ad varias quæſtiones & materias accommodãda, ita enim ars longa fieret breuiſſima. Quid enim breuius aut expeditius dici poteſt quã omnia quæ de re quauis cogitari aut dici omninò poſſunt aut debẽt: ea decem aut duodecim ferè generibus contineri, nempe, cauſſis, effectis, ſubjectis, adiunctis, diſſentaneis, comparatis, nominibus, generibus, ſpeciebus, Diuiſione (hic totũ pars) definitionibus, teſtimoniis.

Talem igitur ex hac lege inuentionem deſcripſit Cicero in Topicis, quã poſtea cauſſis forenſibus & partibus orationis accommodauit. Talem Rodolphus accuratius etiam ſubduxit, & hunc ſecutus Petrus Ramus omnium

accu-

accuratiſſimè & breuiſſimè tradidit, & qui eũ ſecuti ſunt, Freigius, Veſſodus, & aliј. Ex parte etiã Vellichius & Sturmius. Hactenus igitur inuentionis exẽplum fuit.

Sed hîc etiam ſuperior exceptio repeti poteſt & ſolet, quod videlicet eadem res ſeu doctrina ſeu præceptio in diuerſis artis partibus, alia atque alia ratione tradi & repeti poſſit. Non dubium eſt eos qui id faciũt, ſuas cauſſas & rationes habere: & datur ferè ea libertas magnis ingeniis, vt quemad. locupletes patresfamilias in domibus ſuis aliquid liberius citra reprehenſionem inſtituunt: Ita & doctiſſimi viri & autores aliquid pro arbitrio ſuo in artibus tradant, ſatiſque ſit rationis illis ita placuiſſe. Nihilominus tamen non ſequitur, quicquid ad rem aliquam intelligendam aliqua ratione eſt vtile, id ſtatim eo loco vbi vtile eſt, neceſſariò tradendum, ſed id ſequitur à proprio ſuo loco, vbi ſemel & primò traditũ eſt, quaſi ex ſolo natiuo

vſu & memoria repetendum. Doctrina enim. Vt definitio aut diuiſio aliqua ſemel tradita poſtea ad multa vtilis eſſe poteſt, vt fons aut puteus vnus ad varios vſus aquam prębere poteſt, ad potandum, ad coquēdum, ad irrigādum, ad aquandum: tamen pro omnibus his vſibus fons vnus eſt & vno loco manet. Sic priorum partium in arte cognitio ſemper eſt ad poſteriores intelligendas neceſſaria, ſemel tamen tradi ſatis eſt, in poſterioribus repeti non eſt neceſſe. Sic literarum doctrina ad Syllabarum, ad vocum primum ſingularium tum conjunctarum ſcriptionem neceſſaria, vno tamen eoque primo in Grammatica loco eam exponi ſatis eſt, deinceps repeti nihil eſt neceſſe.

Sic in Dialectica argumentorū quaſi Elemētorum doctrina & copia neceſſaria eſt, ad diſpoſitionis, Propoſitionis doctrinam & copiam, ſatis eſt tamē ſemel eam expoſitam eſſe, repeti præcepta inuentionis, in diſpoſitionis doctrina nihil eſt neceſſe.

Poſtre-

Postremò etsi aliàs id concedatur, tamen in arte breuiter & accuratè instituenda, de qua nunc loquimur id cõcedi non posse. Repetitio enim omnis compendio & breuitati aduersatur, & cum doctrina quæ reipsa eadem est, quasi diuersa in diuersis partibus repetitur. Ars minus accurata & expedita, magis intricata & obscura fit. Atque hactenus præceptio Reciproca fuit, vnde quasi consectariũ sequitur, quod passim Arist. disputat in arte nullum esse accidens, & accidentis nullam esse artem. Quòd omnia in arte sint non tã tùm necessaria, sed etiam propria. Atq; hęc lex etiam à Platone in Phædro pręclarè exposita est, cùm Socrates Phædrum de Tautologijs orationis Lysiæ admonet. Hac ergo lege si ex scriptis Platonis, Aristotilis, Plutarchi, Ciceronis Galeni, & aliorum artes colligerentur, infinitæ repetitiones in ijsdem scriptis non reperirentur.

De Prȩcepto in Genere dictum est.

Quotuplex est? Duplex

Etſi enim pro ſingulis argumentorum generibus diſtingui poſſet, tamen hîc duplex tantum faciamus, nẽpe Diuiſiuum & compoſitiuum. De vtroque Plato multum præclarè in Sophiſta, Politico, Philebo & Phædro tradidit. Vnde ea Galenus lib. 9. de dogmatis Hippocratis & Platonis repetit. Hęc igitur duo ſunt artis omnis tradendæ inſtrumenta, de quibus vbi pauca dixerimus, de præcepto dicendi finis erit.

Quid est Diuiſiuum?

Eſt ſubjecti quaſi totius aut generis in partes aut ſpecies diſtributio. Appellatur diſtributio, partitio ſeu diuiſio. Hoc quaſi ex vno plura facit, de quo præcepto, Plato in ciuili ſic ait: Quod qui rectè diuidere nequeant, ſimiles ſint coquorum inſulſorum, qui carnes confringant quas ſcienter ſecare debuerant.

In

In quot partes distributio fieri debet?

Diuiſio ſẽper in partes & ſpecies quã poteſt fieri pauciſſimas, fieri debet. Atque adeo de ſententia Platonis, ſi poteſt, ſemper in duas tantúm. Sic enim hoſpes Zeno in ciuili loquitur: Noſti, inquit, Socrates, quàm difficile ſit bifariam diuidere. Membratim itaque inſtar victimæ diuidamus, quoniam bifariam non poſſumus. Oportet autem in quam proximum fieri poteſt numerum ſemper diuidere. Ac proinde cùm fieri poteſt διχοτομεῖν. i. in duas partes ſecare. Ea enim diuiſio breuiſſima eſt & ad memoriam facillima. Vnde Cicero de oratore: Partes, inquit, in diuidẽdo definitæ eſſe debent, non ſolũ numero ſed etiam paucitate. Ad Herenn. vltra tres eſſe non debent. Et Fab. li. 4. ca. 5. Certus eſt, inquit, diuiſionis modus, & vitanda eſt maximè conciſa nimium & velut articuloſa partitio, in qua multa nõ mẽbra, ſed fruſta, nec tàm plura quã minora ſunt. Ea enim in eandem incidit obſcuritatem, contra quam parti-

tio inuenta eſt. Seneca etiam Epiſtola 90. Quicquid, inquit, in maius creuit, faciliùs agnoſcitur ſi diſceſſit in partes, quæ partes innumerabiles & paruæ eſſe non debẽt, idem.n.vitij habet nimia quod nulla diuiſio, ſimile.n.cõfuſo eſt, quicquid in puluerem vſq; ſectum eſt.

Quid eſt compoſitiuum?

Eſt in quo prædicatum nõ diſtribuit ſubiectum, ſed tantùm deſcribit & definit.

Quod eſt adiunctum præcepti compoſitiui?

Eſt exemplum. Singula autem præcepta exemplis copioſè illuſtrata ſinguli ferè loci communes eſſe poſſunt. In arte verò tradenda vnum aut alterũ illuſtre exemplum præcepto cuiuis ſatis eſt.

Quid eſt Exemplum?

Eſt argumentum ſpeciale generali præcepto adiunctum. Seneca ad Martiam de cõſolatione: Scio, inquit, à pręceptis incipere omnes qui monere aliquem volunt & in exemplis deſinere.

Quis est exempli ad præceptum vſus?

Exemplum præceptum ipſum, quod mente percipitur quaſi oculis ſubijcit. Itaque præcepto & fidem conciliat & lucem affert & venuſtatem. Vt enim vniuerſalia ex ſpecialibus orta primùm ſunt, ita ex ijſdem & fidem & lucem & gratiam, cùm opus eſt, accipiunt. Vtq́; artes ab exemplis natæ ſunt: ita extinctæ aut corruptæ renouari aut repurgari ſine exemplis illuſtribus nullo modo poſſunt. Hinc ſunt magna apud autores exemplorum Encomia. Plato in Theæteto exempla ſponſores & prædes rationis ſeu præcepti appellat, quòd ab ipſis quaſi pro præceptis fideiuſſum perſoluatur. Quare Ariſtotiles 2. cap. 8. Topic. ad perſpicuitatem doctrinæ, inquit: Exempla & ſimilia tenēda ſunt. Plutarchus in libello de virtutibus mulierum: Exemplorum, inquit, ea eſt natura, vt perſuadēdo ſimul oblectent, Et præceptis exempla addere eſt, quaſi Muſis miſcere gratias, pulcherrimo, vt ait Euripides, coniugio.

Exemplum igitur ad prçcepti fidem, lucem, iucunditatem vtile est & necessarium. Atque exēpla ipsa præcipuè sunt artis cuiusque illecebræ, quibus auditor & lector detinendus est.

Qualia igitur exempla præcepti esse debent?

In genere exempla familiaria & illustria esse debent, vnde res facilè intelligi possit, vt ait Arist. 2. ca. 8. topic. Exempla quidam alia Viua sunt & naturalia: alia artificialia. In exemplis viuis experientia ipsa mater artis & exercitatio filia artis propriè versantur. Quare qui viua exempla statim monstrare potest, is efficacissimè docet, sed quia id semper fieri multis de caussis nō potest, ad exempla artificialia ficta & picta decurrendum est. Hæc autem pro partibus Philosophiæ nonnihil variant.

Quæ igitur & qualia Logica exempla esse debent?

Debent ex optimis sermonis & rationis artificibus inprimis sumi: quales sunt Oratores & Poëtæ, tum etiam

ex alijs, Theologis, Iureconsultis, &c.

Quæ & qualia exempla Physica esse debent?

Ea rebus naturalibus quantum fieri potest, similia esse debent. Sic numerorũ exẽpla in Arithmetica suis notis pręceptis subijcienda sunt, sic sonorum in Musica. In Geometria & Physica, rerũ ipsarum quasi imagines pro exemplis sunt & esse debent. Sic magnitudines ipsæ in Geometria pinguntur. In Physica specialiter dicta res itidem ipsæ aut viuæ, aut pictæ aut fictæ præceptorum exempla fiũt. Vt Astra, meteora, metalla, gemmæ, plantæ, aues, pisces, bestię, homo, hominis partes, tum terræ, regiones, montes syluæ, flumina, maria, portus, vrbes, & alia eiusmodi, quo spectãt globi & mappæ & Machinæ variæ.

Quæ & qualia exempla Ethica esse debent?

Debent esse illustria exempla virtutum & vitiorum, ex historia rerum gestarum sacra & profana, & viris illustribus. Item Poëtis heroicis, Tragicis & comi-

comicis, tum alijs si quis quid dignum conferre posset. Seneca Epist. 96. Proderit, inquit, non tãtùm quales esse soleant boni viri dicere, formamque eorum & lineamenta deducere, sed quales etiam fuerint, narrare & exponere: id est, pręceptis virtutum historica exẽpla adiungere. Atque hæc de prima huius doctrinæ parte. Sequitur Methodus.

DE METHODO.

Quid est Methodus?

METhodus est præceptionũ dispositio. Plato ἀνάγκην λογογραφικήν in Phædro appellat. i. necessitatem scriptoriam, & alias οἰκονομία dicitur. Cicero viam & rationem & artem etiam 1. de Orat. vocat. Fabius breue compendium vertit. Vox enim Methodi, à μετὰ & ὅδος facta est, quasi τὸ μετὰ ὁδοῦ ὄν: id est, quod via progreditur certa.

Vox autem Methodi ὁμόνυμος & πολύσημος est, alias enim generaliter etiã

de ma-

de materia artis dicitur, & quoduis argumentum atque doctrinam quamuis ſignificat, adeoque tam latè patet quã ars aut ſcientia. Sic apud Platonem in Phędro & 7. de Repub. ſæpè vſurpatur. Sic apud Ariſto. 2. Analyt. prior. ca. 15. Omnis probatio, inquit, in quauis Methodo tribus tantùm figuris fit (ſ. Syllogiſmorum) & Ethic. 1. ca. 1. Omnis ars & omnis methodus bonũ aliquod deſiderat, & Phyſi. 1. ca. 1. in omni methodo cuius ſunt principia, *&c.*

Ex hac autem generali ſignificatione ad Dialecticam priuatim vox hæc traducitur, & docendi rationem: id eſt, inuentionem & diſpoſitionem quam profitetur Dialectica ſignificat. Sic 7. de Repub. μέθοδος διαλεκτικὴ Platoni dicitur. Atque ſic hac voce vſi ſunt, qui multas & particulares methodos faciunt, quibus præcepta inuentionis & diſpoſitionis Dialectica pręcipuè repetunt. Atque hoc ſenſu etiam definitio & diuiſio methodi dicuntur, ſeu definitiua & diuiſiua Methodus.

Spe-

Specialiſſimè autem & proprijſſimè methodus de artis tãtum forma:id eſt, materiæ doctrinæ & argumenti cuiuſcunque ordine & diſpoſitione accipitur: qua præceptiones certis locis, quaſi milites in acie diſponũtur, Quomodo nos in præſentia hoc vocabulũ accipiemus & vſurpabimus. Atque de hoc Methodo Plato in Phædro ait etiã atq; etiã circũſpiciendum eſſe,quæ via breuiſſima ſit,ne longiorem ingrediamur,cũ breui & plana incedere liceat. Atque hanc ibidem vinculum artis & doctrinæ appellat & ipſum τὸ κοιλόν. Atque hæc diſpoſitio ſimilis eſt ciuitatis in regiones,vicos & domicilia diſtributio:in qua,vt Platoni placet, ſacerdotibus,ad templa, Iudicibus ad fora, militibus ad muros , mercatoribus & opificibus in reliquis vrbis , regionibus,loca & domicilia tribuuntur.

Quæ eſt igitur Methodus artis breuiter & accuratè inſtituenda?

Eſt præceptionum diſpoſitio, à genera-

neralibus ad ſpecialia progrediens. Vt enim inuentio præceptionum à ſpecialibus, ſingularibus & ſenſibilibus originem trahit: Ita Inuentarum præceptionum diſpoſitio artificioſa à generalibus ad ſpecialia & ſingularia cōtra progreditur.

Methodus igitur eſt quaſi quædam rerum deſcriptio & κατηγορία per generaliſsima, ſubalterna & ſpecialiſsima & ſingulæ artes ſingulæ rerum κατηγορίαι & prædicamenta integra & perfecta ſunt, quarum particulæ tantū, & quaſi lineamenta in prædicamentis Dialecticis ſunt, adeoque tota Philoſophia nihil eſt aliud quàm naturæ & rerum omnium naturalium generalium & ſpecialiū pictura & deſcriptio & prædicamentum vnum generale.

Quid eſt Generale & ſpeciale?

Eſt quod in pluribus eſt, ſeu quod pluribus commune eſt: Speciale contrà (quod in paucioribus commune eſt) Generale autem, vniuerſale totū, commune, γενικὸν καθόλου ὅλον κοινόν. Item

ſpeciale,ſingulare,proprium, particu-
lare, εἰδικὸν, κατὰ ἕκαστον, ἴδιον, καθὰ μέρος hîc pro eodem erunt.

Hac ergo ratione generalia ſunt cauſſa,cauſſatis,efficiens, effectis, materia,materiatis,forma,formatis,finis, finitis ſeu medijs.

Secundò ſubiectum adiunctis(ſcil. communius eſt) vt homo rationi & ſermoni.

Tertiò, totum partibus,vt finis & forma generale eſt,vt homo animo & corpori, domus lignis & lapidibus. Dialectica inuentioni & diſpoſitioni.

Quartò genus ſpeciebus,vt animal beſtiæ & homini.

Quintò, Generalium affectiones (adiuncta) ſpecialium affectionibus generales ſunt, vt animalis adiuncta viuere,mori,ſentire, eſurire, ſitire, comedere,bibere,dormire,vigilare, ſperare, moueri: generalia ſunt, ad affectiones hominis proprias,vt cogitare, ratiocinari, numerare, loqui, canere, videre,*&c.*

Sextò.

Sextò. Partium & specierum, etsi eę natura simul sunt, tamē ea generalior est, quę ad alteram collata magis caussæ, præsertim materiæ & quasi subjecti, rationem habet: adeoque rudior, simplicior, & imperfectior est, & alteri quasi inest, vt caro ad manum & pedē. Elementum ad corpus compositum. Litera ad Syllabam. Etymologia ad Syntaxin. Argumentum ad Propositionem. Inuentio ad dispositionem: punctum ad lineam: linea ad superficiem, *&c.* Sic lineæ affectio rectitudo generalior est superficiei affectione, nempe planitie, vt ait Aristo. 11. ca. 4. Metaphys.

Et sic Aristotiles ipse Phy. 3. ca. 1. de loco, inquit, inani vacuo & tēpore primùm dicendum est, quòd hæc omnibus communia sint & omnibus vniuersalia, vbi cōmune & vniuersale pro eodem accipit. Sic de partibus animalium li. 1. ca. 4. Vniuersalia, inquit, communia sunt, quæ enim in pluribus insunt, ea vniuersa appellamus.

Sic etiam Galenus de conſtitutione artis medicæ locutus eſt: Communiſſimus, inquit, & generaliſſimus curationis morborum ſcopus eſt cõtrarietas: vt ab Hippocrate dictum eſt. Et contraria contrariorum remedia κατὰ μέρος δέ: id eſt, particulatim particularia contraria, vt calido morbo, frigidum remedium, & lib. 2. de methodo medendi: Aſini, inquit, norunt tum hominem tum bouem. Pręterea hunc hominem & hunc bouẽ, itidem etiam viã norunt & abſolutè & hanc viã: duplicẽ ergo cognitionem aſini habent: communium ſpecierum alteram, priuatarum alteram. In ſumma, ſiue vnã ſpeciem appellare commune illud velis, ſiue genus ſiue communitatem, ſi illius quam ipſe nunc interpretor notionem cuſtodias, de nominibus contendis, rem tamen mutare nõ poteris.

Cur methodus à Generalibus ad ſpecialia proficiſci debet?

Primò, quemadmodum generalia ſpecia-

ſpecialium cauſſæ ſunt, ſic exempli cauſſa animal beſtiæ & hominis cauſſas continet: in animali enim eſt ſubſtantia corporea, quæ materia eſt ad ſpecies, beſtiam & hominem communiter pertinens: tum facultas vitæ & ſenſus, quæ forma item communiter ad ſpecies beſtiam & hominem ſpectat. Sic pars, vt diximus, rudior partis politioris & perfectioris materiam cõtinet. Sic omnino quicquid alteri generale eſt, id ei etiam cauſſa eſt. Denique generalia omnia aut cauſſæ ſunt ipſæ, aut cauſſarum ſymbola & notæ, vt Ariſtotiles 24. ca. 1. Poſt. τὸ δὲ καθόλου, inquit, τίμιον ὅτι δηλοῖ τὸ αἴτιον. i. vniuerſale eſt honorabile, quia declarat cauſſam. Atq; inde ad laudes ſunt iſta. Generale præſtare ſpeciali, quia ſit αἰτιώτερον & ἀρχοειδέστερον: id eſt, magis & cauſſæ & principio ſimile. Ideoque ἐπιστημονικώτερον: id eſt, ad ſcientiam tradendam aptius & efficacius. Scire enim, vt ait Ariſtotiles, eſt rem per cauſſas cognoſcere. Quare ſciẽtia à generalibus

tanquam caussis ad specialia tãquam effecta proficisci debet.

Generalia, vt caussæ sunt, ita etiam absoluta notione priora & notiora sunt ipsis specialibus. Intelligi enim possunt per se sine specialibus. Sic animal notius est quàm Elephas aut Psittacus. Sic nauis partibus suis omnibus prior & notior est. Sic contrà pars materialis notior est quàm materiata, vt lignum in naui notius & prius est quàm carina, malus, puppis, prora, *&c.* Sic docet Aristotiles in Categorijs ca. de modis prioris. Item 1. Post. 2. ca. Itẽ Top. 6. cap. 2. vbi rectè admonet vniuersalia & Generalia simpliciter & absolutè quidem notiora, sed nõ omnibus, non pueris, non rudibus, atque imperitis adhuc.

His enim sensibilia sunt notiora, sed tantum εὖ διακειμένοις τὴν διάνοιαν: id est, ijs qui mente & iudicio benè affecti sunt: id est, maturi & exercitati satis, vt absolutè salubre non ægrotis, sed benè corpore affectis salubre est. Sic Meta-

Metaphysi. 3. ca. 1. τὸ καθόλου: id eſt, quod vniuerſale eſt inquit rationis iudicio ſeu κατὰ λόγον notum, quod particulare autem id ſenſus iudicio. Ratio enim vniuerſale agnoſcit, ſenſus particulare. Itaque in doctrinæ Methodo generalia & vniuerſalia vt notiora & priora primo loco collocari debent: vt enim ſpecialium cauſſas cõtinent, ita etiam lumen quoddam ſpecialibus cognoſcendis præbent, & gradum ad eorum cognitionem faciũt. Cumque doctrinæ ordo totus eſt mentis & rationis, non ſenſuum, experientiæ autem ordo à ſenſibus ad rationem progrediatur. Ita doctrinæ ordo ab vniuerſalibus ad ſpecialia proficiſci debet, vt ſuprà etiam diximus, vtq́; ſummæ Arithmeticæ ſingulorum calculorum additione ab imis lineis ad ſummas facta naſcuntur. Sed contrà à ſumma linea ad infimam ſcribuntur & proferũtur: Ita pręcepta à ſenſibus & ſingularibus nata, à ratione & vniuerſalibus initio facto alijs traduntur & docentur.

Tertia quæ ſimpliciora & pauciora ſunt & propius ad vnitatē accedūt, ea etiā priora in arte eſſe debēt. Vt enim in numero vnū natura prius eſt duobus, ita quod ſimplex & vniuſmodi eſt, prius eſt, eò quòd varium & multiplex eſt. Vnde Galenus: Primi, inquit, & ſimplices morbi methodi medendi velut ςοιχεῖα ſunt: non enim refert primos an ſimplices dixeris, quādo quod primum eſt, ſimplex eſt, & quod ſimplex eſt, primum eſt: ideoque etiam ςοιχειώδες: id eſt, elementare. Generalia autē ſemper ſunt ſimpliciora & pauciora quàm ſpecialia, & quò generaliores ſūt res, notiones, voces, eò ſunt pauciores, & in quoque genere, quod generaliſmum eſt, vnicum eſt, quę ſpecialiſma innumera & ſæpè infinita in rebus caducis. Vnde Ariſt. Metaphy. 4. cap. 3. Itaque, inquit, quod parum eſt & ad multa vtile, ſimplex & Indiuiduū elementū dicitur. Ex quo factum eſt vt maximè vniuerſalia ςοιχεῖα ſint, propterea quod vnūquodq; eorū cùm vnū ſit

& ſim-

& simplex in nos vtile reperiatur. Generale igitur cùm sit simplex & vniusmodi, meritò prius in arte esse debet, vt caput in corpore animantis. Hinc enim & ars ipsa breuis & compendiosa fit.

Quarta, nisi à generalibus Methodus proficiscatur, duo incõmoda accidunt arti admodum aduersa. Primũ enim ignota per ignota tradẽda sunt. Vt si in Grammatica à Syntaxi initium docendi fiat, necesse est regulas ex ignotis fundamentis tradi. Nam sine perpetua partium orationis, nominis, verbi substantiui, adiectiui earumque accidentiũ, numeri, generis, casus, *&c.* mentione regulæ ipsę tradi nullo modo possunt. Hæc tamen adhuc ignota sunt, vt quæ nondum descripta & explicata sunt. Sic si secundo ad Etymologiam descendatur, & hîc primùm de partibus indeclinabilibus, cõiunctione, aduerbio, *&c.* tũ declinabilib. Verbo, Nomine, *&c.* Postremò de vocũ partibus Syllaba & litera dicatur sæpè

per ea quæ nondū explicata ſunt, priora erunt explicanda. Quare hoc ordine ignota per ignota explicātur, quod cū doctrinæ ratione prorſus pugnat. Deinde ſi vbique ad ſingulas regulas ſpeciales fundamētorū explicatio inculcāda eſt, alterū accidit vitiū nō minus à compendio alienum, nempe eiuſdem doctrinę frequens repetitio & Tautologia, vt docet Ariſtotiles lib. 1. cap. 4. de partibus animalium, adeoq́; præceptum de præceptione reciproca violatur.

Deinde ſi quis ad Regulas Syntaxis, primo loco traditas, intelligendas, ſtatim ſingulis regulis adiūgat definitiones, partium orationis & accidētium, quorum illic fit mentio: iam alterum incommodum accidet, compendio artis prorſus cōtrarium, nempe repetitio eiuſdem doctrinæ in eadem arte & ταυτολογία, vt ſi exempli cauſſa expoſita regula Syntaxeos *Nomen & Verbum numero & perſona cōuenire*: ad eam intelligendam ſtatim ſubijciatur: Nomen

mē autem eſt pars orationis cum Genere, numero & caſu. Verbum autem eſt pars orationis cum numero, tempore & perſona. Numerus autem eſt accidens vocum quo res vna aut plures ſignificantur. Perſona autem eſt mei, tui, ipſius ſignificatio. Sine omnibus definitionibus, earumq́ue exēplis regula illa nullo intelligi aut explicari poteſt. Hac ergo ratione doctrina ſingularum vocum neceſſariò inculcāda eſſet, quæ deinceps rurſum in Etymologia: id eſt, ſingularum vocum doctrina ordinaria ex profeſſo eſt repetēda. Quare hîc neceſſariò tautologiam exiſtere.

Atque idem in Dialectica vſu veniret, ſi initium fieret à parte ſpeciali, nēpe iudicio ſeu diſpoſitione methodi aut Syllogiſmi, atque inde ad diſpoſitionem propoſitionum, & poſtremò in inuētionem: id eſt, terminorum ſeu argumentorum ſimplicium, vt generis, ſpeciei, definitionis, diuiſionis etiā ordo deſinat. Sic in Arithmetica ſi à

regulis ſocietatis & allegationis ad re-
gulam proportionum, inde ad ſpecies
numerorum ſimplices, ordo progre-
diatur. Sic in Geometria, ſi à ſolido ad
ſuperficiē, eâ ad lineā, à linea ad pūctū
deſcendatur. Atque idem omnino in
omni arte, ſi à ſpecialibus initium fiat,
cōtinget, vt vel ignota per ignota tra-
dātur, vel ταυτολογία non neceſſariò cō
mittatur: quorū prius perſpicuitati do
ctrinæ alterum breuitati aduerſatur.

Hæ igitur quatuor cauſſæ & ratio-
nes ſunt cur à generibus ad ſpecialia
in arte breui & accurata ſit progrediē-
dū, quod ea & cauſſæ ſint ſpecialiū &
ipſis notiora, priora, & ſimpliciora, &
quod ex ὑστερολογίᾳ vel obſcuritas Do-
ctrinæ vel repetitio & prolixitas non
neceſſariò exiſtat.

Generale itaque omne prius, ſpe-
ciale poſterius eſſe debet: itaq; & col-
lectiuum præceptiuum, diſtributiuo
prius eſt. Illud enim totius & generis
eſt, hoc partium & ſpecierum, tum di-
ſtributio in partes prior eſt diſtribu-
tione

tione in ſpecies. Pars. n. ſpecie generalior eſt, vt litera & ſyllaba partes vocis generaliores ſunt, ac proinde priores ſpecieb. vocis Nomine, Verbo, &c. Et termini ſeu argumēta & Propoſitiones partes Syllogiſmi generaliores ſūt, ac ꝓinde etiā priores in arte ſpecieb. Syllogiſmi. Sic partes hominis ſimilares & diſſimilares, animus & corpus generaliores partes ſūt ac proinde priores in docēdo quàm hominis ſpecies, nēpe Gallus, Germanus, Danus, Hiſpanꝰ.

Vtrūque autē & collectiuū & diſtributiuum præceptum, quò eſt generaliꝰ, eò ſemper prius in arte eſſe debet.

Primò omniū artis cuiuſq; totius generalis & cōmunis ſiue definitio ſiue deſcriptio eſſe debet. Hæc. n. inter omnia artis præcepta generaliſſima eſt & quaſi Prędicamenti genus ſummū, cui deſcriptioni addendū aut ſubiungendū eſt argumētum omni arti generale quod ad eā rectiùs intelligēdā aut illuſtrandam faciat, vt ſunt cauſſa efficiēs, materia, forma, finis, ſubiectum, adiūctum,

ctum, simile, dissimile, &c. Hæc enim omnia vni generi artis docendo & illustrando communia argumēta sunt, vulgò προλεγόμενα dicta. Hoc itaque præceptum, quasi caput est aut prima futuræ imaginis delineatio: sic enim pictor imaginem picturus primò omnium, eius rudem quandam Idæam: (id est, imaginem) & extremis tantùm lineis comprehēsam, in qua omnium partium situs & συμμετρία est, animo & manu informat. Arist. 1. Eth. cap. 7. hoc vocat ὑποτυπῶσαι καὶ περιγράφειν & τύπῳ περιλαβεῖν. Hāc autem artis descriptionem, nisi primùm vel animo & cogitatione artifex concipiat, vel verbis etiam exprimat, nunquam ad cætera progredi poterit: nec ordo vllus nisi in toto & ex toto inueniri & cōstitui potest. Quare totius artis descriptio meritò primum locum occupare debet.

Hāc communem & generalem designationem artis & communium argumētorum finis, subiecti, &c. sequetur distributio artis, aut subiecti artis, aut

aut finis artis, in summa membra, aut species summas, aut ea quæ fini proxima sunt. Et hæc distinctio si multiplex fuerit, præcedet distributio in partes, sequetur in species.

Tertiò hæ partes & species eodem ordine quo præpositæ sunt generalibus definitionib. & diuisionibus perpetuo ordine tractandæ sunt. Atque hoc est iam quasi ἀναγραφὴ pictorum, qua singula membra & tota imago viuis coloribus paulatim exprimitur & perficitur.

Postremò partes ipsæ & species si longa inter ipsas explicatio intersit, trãsitionibus quibus admouetur quid dictum sit & quid deinceps dicendum sit, colligendę sunt. Transitiones enim & præceptionum vincula & memorię lumina & gradus sunt. Atque hoc est quasi colorum in pictura ἁρμογὴ: (id est, commissura) hæc igitur artis totius perfectio & quasi expressa effigies est.

In hac autem artis descriptione, si quid generale & vniuersale artificem fefel-

fefellit, & nõ ſatis apto loco ſit poſitũ, id quaſi loco deiectũ, mox artis cõpẽdiũ turbabit & in plura loca ſe diffundet, ac bis terúe ſpecialiter repetetur, atq; ipſa repetitione ſe prodet. Quare artifex breuitatis & cõpẽdij ſtudioſus, id præceptum generale, eo vſq; in anteriora promouebit, donec locum ſatis amplum & generalem reperiat, vbi ſemel omninò pro dignitate ſua collocari poſſit.

Atque hactenus definitio Methodi, eiuſque explicatio fuit: eam ergo nũc vno aut altero exẽplo illuſtrabimus.

Primum exemplum ex arte Grammatica.

SI Grammatica ergo hac lege breuiter & accuratè inſtituenda eſſet, primum omnium Grãmaticæ definitio, finis item & officij atque ſubiecti deſignatio primo loco collocanda foret. Vt, *Grammatica eſt ars bene loquendi.* Eius finis eſt benè loquendi facultas. *Subiectum eſt oratio pura.* Huic definitioni & deſignationi adiungẽda eſſet

ſet

ſet Grammaticæ partitio in ſumma membra, eaque ſecundo loco collocanda. Grammaticæ partes ſunt duæ, Etymologia & Syntaxis. Tertiò Etymologiæ definitio collocanda erit.

Etymologia eſt ars vocum ſingularum ſeu pars Grammaticæ de vocibus ſingulis. Quartò Etymologiæ ſubiectum nempe vox diſtribuenda erit, eaque quarto loco collocanda, vt Etymologia alia eſt partium vocis, nempe literæ & ſyllabæ: vel ſpecierum vocis, nempe declinabilium, aut indeclinabilium: vel ſi pro Etymologiæ diuiſione ſubiectũ artis vox diſtribuatur, Diſtributio ſic erit. Vox vel in partes vel in ſpecies diuiditur. Partes vocis ſunt litera & ſyllaba. Species autem vocis ſunt vox numeri aut ſine numero, aut declinabilis aut indeclinabilis. Hæ tum partes & ſpecies ordine omnes definiendæ, diuidendæ, & exemplis illuſtrandæ ſunt, eo ordine quo propoſitæ ſunt, & exitus earum tranſitionib. colligendi. Atque ita Etymologia tota ab-

ta abſoluēda erit, idemq́ue in Syntaxi faciendum eſt. Sicq́ue ars Grammatica breuiſſimè conſtituta erit.

Iam verò fieri poteſt vt in hac Grammaticę deſcriptione generale aliquod artificem fugerit, & pro ſpeciali acceptum fuerit, ac proinde inferiori loco quàm par erit, collocatū & inde repetitū, vt exēpli cauſſa. Accidētia vocū ſpecies & figura, quę in cōpēdio Donati, vt & apud alios Grāmaticos per ſingulas vocū ſpecies repetūtur. Hic artifex cùm ſpeciem & Figuram accidētia generalia & communia omnium vocū ſpeciebus à ſe ſpecialiter & ſæpius expoſita eſſe videt, à via aberraſſe ſe intelligit. Quare vt erratum corrigat, ſpeciem & figuram eo vſque in anteriorem & ſuperiorem locum promouebit, donec amplo ſatis loco generaliter & ſimul ſtatui poſſet. Qui locus in Grammatica pro his duobus accidētibus erit ante vocum diſtributionem in ſpecies, ſeu vt vulgo dicitur, Partes orationes. Itaque poſt vocis partes li-

teram

teram & ſyllabã expoſitas, & ante ſpecies Nomẽ & Verbũ exponendas, ſpecies & figura quaſi generalia vocis accidẽtia collocãda forẽt & ſemel explicãda. Atq; ita artem Grãmaticam, ſi in cæteris nihil erratum eſt, breuiter & accuratè inſtitutam artifex habebit.

Secundum ex Dialectica.

Eodem modo ſi Dialectica breuiſſimè & accuratiſſimè ad diſcendi & vtendi facilitatem ex copioſis & iuſtis Dialecticorum commentariis colligẽda ex hac lege diſponenda foret. Primùm omnium Dialecticæ definitio, cum artis eius argumentis vniuerſalibus eſſet collocanda.

Dialectica eſt ars benè diſſerendi. Eius finis & officiũ eſt bene diſſerere. Diſſerere autem hîc generaliter ſignificat non ſolùm diſputare, cõfutare, refutare, nec ſolùm docere: Sed omninò ratiocinari ſecũ, & cogitare de re quauis. Cuius ratiocinationis vſus deinde in verbis & ſermone ad alios ſe profert, idq́ue in loquendo, dicendo, declamando, docendo, concionando, ſcribẽdo, interpretãdo, idq́; in omni arte,

oratione, hiſtoria, Epiſtola, carmine.

Subiectum artis eſt *Ens* & non *Ens*: id eſt, res omnis de qua affirmatiuè aut negatiuè aliquid diſſeri poſſit: vnde ars ipſa eſt quaſi tranſcendens, aut tranſcendentis, vt vocant, ars.

Poſt hanc generalem definitionem & deſcriptionem ex generalibus argumentis duobus fine & ſubiecto, Diuiſio artis in partes & ſumma membra ſtatuenda eſſet.

Dialecticæ partes ſūt duæ, τοπικὴ & κριτικὴ ſeu τακτικὴ ſeu inuētio & Iudicium ſeu diſpoſitio. Atq; hîc inuentio, quoniam generalior eſt diſpoſitione, eiuſq́ue partibus omnibus cōmunis primo loco collocanda eſt, eaq́ue primū definienda & argumentis generalibus illuſtranda ſi opus ſit.

Inuentio ſeu τοπικὴ eſt pars artis de argumentis inueniēdis. Subiectum ſeu materia eius eſt locus ſeu argumentum. Locus autem eſt ſedes: id eſt, genus argumenti. Argumentum autem eſt *Ens* ſeu res quę de alio quouis *Ente* aut re cogitari aut dici poteſt: quo que (ſ. ente) res ſeu ens propoſita, argui: id

eſt, doceri aut probari, aut quouis modo tractari queat. Finis τοπικῆς ſeu inuentionis eſt eiuſmodi argumenta inuenire, excogitare, ex artibus & fontibus rerum ipſarum colligere, & in prõptu cùm opus eſt habere. Quæ inuentio ſine artis & rei cognitione, de qua dicendum eſt, nulla eſſe poteſt. Vnde & Ariſtotiles εὐπορίαν: id eſt, rerum copiam & ἐκλογὴν: id eſt, delectũ ſeu collectionem ex ſingulis artibus & autoribus ſingulis, hanc inuentionem vocat.

Vt autem Dialectica tota omni quęſtioni ſimplici & coniunctæ communis eſt: ita etiam inuentio omni quæſtioni ſimplici & coniunctæ, verę & falſæ, neceſſariæ & veriſimili communis eſt. Ita enim omnis inuentio ex ſimplicibus & coniunctis oritur.

Poſt hãc Inuentionis definitionem & axiomata generalia partitio eius in argumentorum ſpecies ſubijciẽda foret: nam perinde eſt ſiue hic τοπικὴν ſeu inuentionem ſeu Τόπον ſeu argumentum diuidatur, eodem enim res redit: nam & ars ſeu pars artis & ſubiectum

eius ſpeciale reciproca ſunt. Locus igi
tur ſeu argumentũ aliud primũ eſt, a-
liud ex primo ortum ſeu ſecũdarium.

Primum eſt vel cauſſa vt efficiens, materia, forma, finis, vel effectus, vel ſubiectum vel adiunctum, vel diſſentaneum vel comparatum. Secundariũ eſt vel nomen vt coniugata & notatio. Vel eſt genus aut ſpecies (quæ ſpecialis generũ & ſpecierum deſcriptio in prædicamẽtis tradita, ſi vſpiã in arte locũ habeat, huc referẽda eſſet (vel eſt diuiſio, vel definitio, vel teſtimonium.

Atque ad hæc argumentorum genera, locos, titulos, capita aggregandũ & reuocãdum eſſet, Quicquid eſt Generale & vniuerſale his ipſis: vnde ex prędicabilibus, ex prædicamẽtis, poſtprędicamentis, Definitionis doctrina, Diuiſionis methodo, ſimplicium quęſtionum, propoſitionum appoſitione, argumentationum ſpeciebus, Inductione, Exemplo Soríte: Poſtremò ex locis perſonarũ & rerũ vna & ſimplex doctrina argumentorum conficitur.

His itaque ordine tractatis definiẽdo & diuidendo. Vſuq́ue ſingulorum

exemplis oſtenſo ars & pars inueniēdi breuiter & accuratè abſoluta eſſet, vnde & ad alteram partem trāſeundum, eaq́ue primùm definienda.

Iudicium ſeu diſpoſitio eſt pars artis de Argumentis inuentis diſponendis ad rectè iudicandū: certa enim diſpoſitione, ſeu compoſitione, ſeu coniunctione, ſeu connexione argumentorum vnumquodque iudicatur, tum diſtributio ſubiungenda eſt.

Iudicatio ſeu *diſpoſitio* duplex eſt. νοϊτικὴ & διανοϊτική. Νοϊτικὴ eſt qua argumentum de argumento enunciatur: id eſt, duorum tantùm argumentorum inter ſe coniunctione, & dicitur Propoſitio, axioma, enunciatum, pronūciatum, *&c.* Vt ſi dicam, Ignis vrit, Ignis eſt calidus, ignis non eſt aqua, vbique duorum argumentorum coniunctio eſt, in primo cauſſæ & effecti. In ſecundo ſubiecti & adiuncti. In tertio diſſentanei cum diſſentaneo. Diuiſio iudicationis, diſpoſitionis ſeu propoſitionis fieri debet in partes nempe antecedentem & conſequentem ſeu ſubiectum & prædicatum. Inde in ſpecies

vt in Propositionē verā & falsam. Hîc enim primū est, & antiquissimū veritatis omnis iudiciū & fundamētū est, veritatē simplicē & cōiunctā, seu cathegoricā & hypotheticam cōtinens, &c.

Absoluta propositionis doctrina iudicatio & dispositio. διανοιτικὴ eodem modo tractanda esset, ac primum definienda, tum diuidenda. Iudicatio seu dispositio est plurium seu argumentorum seu propositionum in se dispositio. Estque duplex: Syllogismi & Methodi. Quæ partes eodem deinde ordine definiendæ, diuidendæ exemplis illustrandæ essent donec ars tota absolueretur. Quæ ita instituta longè breuissima & accuratissima foret, adeoque ad discendum & vtendum longè facillima.

Denique hanc viam omnes artes & artifices sibi proposuerunt, & si non per omnia semper secuti sunt. Atque hactenus præceptum Methodicum, cum exemplis duobus fuit, nūc id testimonijs paucis Platonis inprimis atque Aristotilis illustrabimus, atque ita finis præsentis methodi erit.

Platonis testimonium primum ex Philebo.

PRimùm ergo Plato in Philebo hanc methodũ docuit & magnificè prædicauit. Cùm enim ibi quæstio proposita esset, vtrum voluptas sapiẽtiæ præstaret an contrà, vt ea quæstio decidi posset primùm omnium Socrates naturam sapientiæ & voluptatis cognoscẽdam esse ait: quod qua ratione fiat, Socrates ita Protarcho exponit: Nulla, inquit, via pręstãtior est nec esse potest quàm illa cuius semper amator & studiosus fui, illa tamen me subinde fugit ac destituit: Protarchus: quęnam illa est? dic modò Socrates. Ea nimirum quam explicare & docere non est quidem admodũ difficile, ad vsum autem reuocare, longè omniũ difficillimum. Quæcuuq; enim res inuentæ vnquam sunt & artibus comprehenduntur, eæ hac via & ratione tractantur & explicantur. Attende quæso quam viam dicam. *PRO.* Dic tantúm. *SOC.* Deorum quidem illa est ad homines donum, vt mihi quidem videtur, opera Promethei cum igne quodam clarissimo delatum. Atque hactenus legis

seu

ſeu pręcepti pro œmiũ fuit & laudatio à difficultate, vtilitate, & autore Deo. Sequitur lex ipſa. *SOC.* Hoc igitur quaſi oraculum maiores noſtri nobis præſtãtiores, Dijſque propius habitã-tes nobis tradiderunt. Omnes res quę ſemper eſſe dicuntur ex vno & multis conſtare, deinde finem & infinitatem in ſeſe cõtinere. Ac proinde in re omni primùm vnam Idæam ſeorſim quærendam eſſe. Quæ cùm in re ſit, etiam inueniri poteſt. Secundùm tum vna inuenta poſt vnam illam duas idæas quærendas aut confirmandas eſſe, aut ſi duas habere nequeamus tres, aut alium aliquem numerum. Tertium, his inuentis earum ſingulę rurſum eodem modo conſiderandæ & tractandæ ſunt, vnius & multorum conſideratione, donec conſtiterit de eo quod primum propoſitum eſt, non ſolùm id vnum & multa ſeu finita & infinita eſſe, ſed etiam quod omninò ſit.

Infiniti autem Idæam: (id eſt, infimarum ſpecierum enumerationem) non prius ad multitudinem adhibendam, quàm omnẽ ipſius numerũ ꝗ eſt inter

infini-

infinitũ & vnũ animo perlustraueris.

Cùm verò ad infinitum ventum est, tum verò fas est, imò necesse est, vt vnumquodque in infinitum abeũtium prætermittas atque valere sinas. Hæc lex est quam repetitione dignitatis cõcludit. Hãc igitur viam, inquit, Dij nobis tradiderunt, qua res omnes consideremus, discamus & alios vicissim doceamus. Legi deinde ἀπαγωγὴν quandã addit Socrates, qua legis violatores reprehendit & Sophistas appellat: artifices autẽ veros Dialecticos. Qui verò, inquit, nunc homines sapientes habentur, vnum quidem temerè fortè, multa verò aut citius aut tardius quàm docent, faciũt. Post vnum enim statim infinita subijciũt: media autem effugiunt. Atque ipsos his: (id est, vno & multis) Differunt Dialectica & ἐριστικὴ. i. litigosa seu Sophistica differendi ratio. Hactenus igitur primũ testimonium & prçceptũ Platonis de Methodo fuit Epilogo & proœmio auctum, quo præcepto & testimonio methodus à generalibus ad specialia exercetur, vt sola idonea qua artes omnes

tradantur. Vt hoc Syllogiſmo intelligi poteſt.

Plato docet in arte & in re omni artificiosè tractanda ab vno & finito ad multa & infinita perpetua ſerie progrediendum eſſe: generale autem & vniuerſale eſt vnum & finitum.

Speciale contrà & ſingulare multum eſt & infinitum.

Ergo Plato docet methodum à generalibus & vniuerſalibus ad ſpecialia & ſingularia in omni arte progredi.

Teſtimoniũ ſecundũ ex Phædro Platonis.

EST & hîc præclarum hac de re teſtimonium hac occaſione natum. Circumferebatur Athenis oratio Lyſię de amore quam Phædrus adoleſcens, vt & alia autoris eius ſcripta magnifecit, quam proinde Socrates vt Phædrum rectiùs doceat inter alia vt ἀμέθοδον reprehendit, in qua nulla ſit diſpoſitionis ratio à Lyſia habita. Nam rerum, inquit Socrates, obuiarum nõ εὕρεσις, ſed διάθεσις laudanda eſt. Atque hac occaſione veram in omni re diſcenda docẽdaq; Methodum & deſcriptionẽ Phædrum docet. Omnis, inquit, λόγος .i. doctrina & oratio inſtar animalis ſuo quodam corpore cõpoſita eſſe

debet,neque capitis expers neque pedum,ſed medijs & extremis nō ſolùm inter ſe,ſed toti cōgruētib.cōformata.

Hæc methodi eſt à ſimili deſcriptio & pictura, quæ quomodo fiat deinceps ſic explicat:Mihi quidem, inquit, cætera per ludium iocumq́ue dicta videtur:harum verò duarum ſpecierum in quarum mentionem fortè fortuna incidimus, ſi quis vim naturam ; & artem comprehendere poſſet,rem non ingratam aut iniucundam conſecutus videatur. *PH.* Quænám ſunt illæ ſpecies? *SOC.* Prima ſpecies vt in vnam Idæam intuendo cogat variè diſperſa, atque ſingulis definiendis planum faciat id de quo dicere inſtituit. Quemadmodū nos in præſentia quidnam ſit amor definimus, ſiue benè ſiue malè factum eſt, atque id huius ordinis beneficio conſecuta eſt, oratio noſtra vt & præcipua eſſet & ſibi ipſa conſentiens. *PH.* Ecquā aliā ſpeciem ſignificas? *SOC.* Vt res ipſæ pro ſua ſingulę natura in ſuas ſpecies articulatim ſecentur, & quidem ita ne quis vllum membrum frangere conetur, im-

periti coqui ritu. Sic nos, inquit, in duabus orationibus nostris, primùm vnam & communem (amoris) speciē nempe animi & mentis insaniam posuimus. Inde quemadmodum ex vno corpore membra gemina, & quæ vno quodam nomine nuncupantur, prodeant: quorum hęc dextera, illa sinistra dicuntur: ita & nos cùm Insaniæ illius speciém statuissemus, eam postea in duas species diuisimus, sinistram videlicet & dextram. In priori oratione nostra partem sinistram à dextra separantes, eamq́; rursum partientes, non destitimus priusquam ibi amor quidam sinister reperietur, repertusq́; à nobis grauissimè repræhendatur, vt par erat. In posteriori autem oratione dextram furoris partem tractauimus: atque ibi in amorem furori quidam cognominem, sed diuinum incidimus. Qua occasione liberius in eo amore laudando oratio nostra excurrit quippe qui maximorum bonorum nobis sit autor. *PH.* Verissimè loqueris.

Hoc igitur præceptum Methodi est ex duabus Idæis collectionis & distri-

butionis confectum & exemplis illustratum. Id deinde Epilogo & Encomio clauditur, in quo huius Methodi fructus Sapientia & Eloquentia dicitur, & Methodus ipſa Dialectica appellatur. Equidem, inquit, vt de me confitear Phædre harum diuiſionum & cõprehenſionum ſum perſtudioſus, vt illarum adminiculo rerum & melius intelligendarũ & commodius oratione tractãdarum facultate valeam. Quod ſi aliquẽ intellexero poſſe vnũ & multa hoc modo proſpicere, huius ego, vt Dei veſtigia cõſector, eoſque qui hac facultate prędi ti ſunt rectè ne an ſecus appellã, Deus nouit. Voco autem hactenus διαλεκτικούς. Et paulò pòſt præceptum, his verbis repetitur: De natura, inquit, quid Hippocrates & vera ratio dicat, velim animaduertas: ſic. n. de re quauis diſquirendum eſt. Primùm quidem vtrum illud ſimplex ſit an multiplex, de quo & ipſi habere artem & alios docere inſtituimus. Deinde ſi ſimplex ſit, quãtum ex ipſa fieri poteſt, inueſtigandum eſt, & quam vim illud habeat, vt vel agat aliquid, aut aliquid

patiatur. Quod si multiplex fuerit, species enumerādæ sunt & in quauis specie rursum illa naturalis agendi & patiēdi vis cōsideranda est & explicāda. *PH.* Cōmoda & opportuna sanè videtur hæc via. *SOC.* nimirū sine hac, methodus omnis tanquam cæci πορεία seu perfectio est. Et paulò pòst, neq; igitur Rhetorica, mihi crede, neq; quicquam aliud si aliter doceatur aut dicatur, artificiosè vnquā scribetur aut dicetur.

Hæc lex est in Phædro proposita, quę itidē Methodum à generalibus ad specialia docet. Summa rei in hoc Syllogismo continetur.

Methodus in Phædro tradita à communi, ab vna specie, à toto ab vno quasi corpore, à collectione, συναγωγὴ dicitur, ab eo cui aliquid communiter accidit quod cōmuniter vel agit vel patiatur ad plures species, partes, & id quod multiplex est, & ad diuisionem perpetuò progreditur.

Generale est vna species, totum, commune, simplex & quasi vnum corpus & plurium collectio, & quod communes affectiones cōtinet. Singularia autem & specialia sunt plures species, sunt partes, sunt πολιειδῆ seu varia & diuisiones.

Ergo Methodus in Phædro tradita à generalibus ad specialia perpetuò progrediendum esse docet.

monia fuêre duorũ librorũ Philebi & Phædri, ſicut & alia apud Platonẽ pręſertim in Politicis, duodecimo de legib. & alibi. Sed nos in præſentia duobus hiſce cõtẽti erimus. Quibus exẽpli loco, duo eiuſdem Philoſophi Dialogi addantur Sophiſta & Politicus, quos à ſe ſcriptos eſſe diſertè affirmat in Politico, & vt methodi Dialecticæ exempla, ſint quibus etiam Dialogi de Republica & legibus & omnes ferè διδασκάλικοι addi poſſunt. Atque hæc de teſtimonijs Platonis, nunc diſcipuli eius Ariſtotilis vnũ aut alterũ audiamꝰ.

Ariſtotiles igitur etſi ex profeſſo nuſquam ferè in organo methodũ tradat niſi quod obſcurè admodũ 1. Poſt. illã innuat, tamen alijs in libris breuiter & perſpicuè illam docuit & Porphyrius quaſi aliud agens eam in ſuo libello his verbis propoſuit.

Porphyrij teſtimonium in cap. de ſpecie.

GEneraliſſimorum numerus certus eſt & finitus, nõ infinitus. Indiuidua autem infinita ſunt. Quocirca iubebat Plato eos qui à ſummis generibus ad infimas ſpecies deſcendiſſent, inſi-

differentijs, quæ ſpeciem complent diuidēdo. Infinita verò prorſus omittere. Hæc.n.ſcientia cōprehendi nullo modo poſſe. Eos igitur qui deſcendūt ad infimas ſpecies, neceſſe eſt per multitudinē partiēdo decurrere. Qui autem aſcendunt ad generaliſsma, in vnū, vt multitudinem colligant neceſſe eſt. Species enim & multo quidem magis genus ipſum multorum in vnā naturā συναγογὸν eſt (.i. collectiuum) Particularia autem & ſingularia contrà vnum in multitudinem diuidunt. Singulare.n. διαιρετικὸν eſt (.i. diſtributiuum συλληπτικὸν ἤ καὶ ἑνοποιὸν.i. cōprehenſiuū, & quod vnum faciat commune.

Hic locus manifeſtè Platonem citat, & ex Philebo deſumptus eſt, & in deſcendendo.i. docendo, ordinem à generalibus ad ſpecialia tenendum eſſe affirmat, vt contrà in inueniēdo & experiendo à ſpecialibus ad generalia.

Ariſtotelis teſtimonium ex libro 1. cap. 1. ex Poëtica.

DE Poëtica, inquit, ipſa & ſpeciebus eius quid queq; ſit, & ex quo & quibus partibus quodque conſiſtat, di-

cemus, facto initio à primis κατὰ φύσιν. Hic ergo hãc methodum à generalib. definitionib. & argumẽtis, ad specialia quam ibi seruauit naturalem appellat.

Physicorũ 1. ca. 1. Omnis, inquit, sciẽtia in omni methodi. i. re & arte ex cognitione principiorũ, caussarũ, & elemẽtorũ existit. Ratio additur (tũ. n. nos aliquid scire existimamus cũ caussas & prima principia & Elemẽta cognouerimus. Et paulò pòst quare ex vniuersalib. ad singularia progrediendũ est. Phy. 1. ca. 7. Est. n. ordo is quem natura præscripsit, vt cũ ea quæ cõmunia omniũ sunt, dixeris, tũ denique ea quę cuiusq; ꝓpria sint, tractare. Li. 3. Phys. 3. & ca. 1. Cùm dixisset Philosophus primũ sibi de motu, infinito, vacuo tẽpore dicendũ esse, rationem addit, quòd hæc omnib. cõmunia essent & vniuersalia. Tum legẽ ipsam ponit. Posterior. n. inquit, est cõsideratio propriorũ, considerationẽ & doctrina cõmuniũ, Li. 2. ca. 9. de generatione: Quemadmodũ, inquit, quędã res oriũtur & occidũt, & ortus circa mediũ fiat. Primùm omnis motus pariter & quot & quę principia

ſint, dicendũ eſt. Tum Lex ponitur. Faciliùs. n. & rectiùs ſingularia docebimus, ſi primũ de vniuerſalib. dixerimᵒ.

Lib. 1. ca. 1. de partibus animalium. Hæc quæſtio de Methodo mouetur à Philoſopho in eo argumento. Vtrum, inquit, præſtet ſigillatim primum ſubſtantias diſcutere vt naturam hominis aut Leonis, aut bouis, aut alius cuiuſve aut ea quæ omnibus communiter accidunt primùm exponere: moxq́ue priorem viam à ſpecialibus reijcit, eiq́; ταυτολογίαν neceſſariò coniunctam eſſe ait. Eademq́ue quæſtio ca. 4. repetitur & eodem modo deciditur, vbi & cùm ordinem methodũ appellat. Idẽ docet 1. Philoſ. ca. 2. & 1. Eth. ca. 7. Hæc itaq; Ariſtotilis teſtimonia ſunt, quib. omnib. methodũ à generalibᵒ ad ſpecialia perſpicuè docet: quã & in omnib. ſuis libris alibi tamen liberiùs ſecutus eſt.

Plato igitur & Ariſtotiles & Porphyrius ſic ſentiunt. Audiamus nunc Galenum optimum ferè eorũ interpretẽ.

Galeni teſtimonia.

HIc igitur & ſi minus apertè & conſtanter, tamen paſſim hanc metho-

mùm itaq; totus liber Nonus de dogmatis Hippocratis & Platonis copiosè nomine vnius & multorum, similiũ & dissimilium communium, propriorum, compositionis & diuisionis, methodum Platonicam ex Phędro & Philebo nominatim repetitam inculcat & collaudat, & inter alia sic ait: In Philebo & Phædro Plato ad artium constitutionem diuidendi & componẽdi artem ostẽdit quàm maximè necessariam, duobusq; modis nobis præcipit eã exercẽdam. Vno à Generalismo ad indiuidua per differẽtias descendẽdo. Alterum vt à specialissimis quæ multa sũt, ad primũ genus cõponendo ascẽdamus. Et paulò pòst: Hæc, inqt, Plato scripsit de constitutione artiũ, quæ videlicet Logica Methodo nõ singularũ obseruatione & experientia cõficitur.

Libro de curãdi ratione per sanguinis missionem Ca. 3. Tempus nunc est, inquit, orationem ordiri & cõsiderare quot sint affectiones quæ vacuatione indigeant. Ergo si quis eas experientia collectas exponit, sola opus est ad explicationem memoria, at si via & methodo Logica exponere velit, cõmu-

ne & generale inueniat necesse est. Ex eius deinde in species & differentias sectione ad species vsque vltimas affectuum, vacuationum, indicātium, numerus inuestigādus est. Sic.n. cōstaret quod vniuersa quæ methodo Logica inuētionē sortiūtur mōstrauim⁹. Inuētio autē hîc artis cōstitutione ponitur.

Ad Glauconem lib. 1. cap: 1. Mnesithæus, inquit, Atheniēsis vir tū in alijs omnibus quæ ad artē pertinent, tū verò qua methodo medicinā exercere (.i. tradere) oporteat nemini secūdus. Is ergo à primis artis & supremis incipiens, generibus, putauit secanda illa esse in alia genera speciesq; & differētias. Hęc rursus in alia diuidi, ac denuò ista eodē modo, donec ad talē speciē peruenerimus, post cuius diuisionem ad vnum numero & indiuidua peruenerimus. Deinde addit hanc rationem Platoni probatā & sibi ibidē sequendā atq; hęc in pręsētia ex Galeno sufficiāt.

Ciceronis testimonium.

GRæcos igitur audiuimus, nunc Latinos audiamus, ac primum omnium Ciceronē li. 1. de Oratore: Omnia fe-

rè,inquit,quæ ſunt cõcluſa nũc artib⁹, diſperſa & diſſipata quõdam fuêre. Vt in Muſicis numeri, voces & modi. In Geometria lineamenta, formæ, interualla, magnitudines. In Aſtrologia cœli conuerſio, ortus, obitus, motuſq; ſyderũ. In Grãmaticis Poëtarum pertractio, hiſtoriarũ cognitio, verborum interpretatio, pronunciãdi quidã ſonus. In hac deniq; ipſa ratione dicendi, excogitare, ornare, diſponere, meminiſſe, agere ignota quondã omnib. & diffuſa latè videbãtur. Adhibita eſt igitur ars quædã extrinſecus, ex alio quodã genere, quod ſibi totum Philoſophi aſſumunt, quæ rem diſſolutam cõglutinaret, & ratione quadã cõſtringeret.

Sit ergo in iure ciuili finis hic legitimè atq; vſitatè in reb. cauſſisq; ciuiũ ęqualitatis cõſeruatio, tũ ſũt notãda genera, & ad certũ numerũ paucitatẽq; reuocãda, omniaq; quę ſunt vel generũ vel partiũ nomina definitionib. quã vim habeãt, eſt exprimẽdũ. Quòd ſi aut mihi facere liceat, quòd iãdiu cogito, aut alius qſpiã aut me impedito occuparit, aut mortuo effecerit. Vt primũ Ius

ciuile in genera digerat, quæ perpauca sunt. Deinde eorũ generũ quasi mēbra quædã dispertiat, tũ ꝓpriã cuiusve vim definitione declaret, perfectã artē iuris ciuilis habebitis, magis magnam atq; vberē quã difficilem & obscuram.

Rodolphi testimonium.

RO dolphus li. 3. cap. 9. Quod ordinis est, inqt, in artib⁹, hoc sufficiet dixisse à generalib⁹, quoniã notiora sunt sēp, ducēd⁹ erit nobis ab ijs ordo. Deinde per species eundum. Et hę ipse species rursus fortassis si tam latè patēt, genera fient: quæ in alias etiã species deducendæ. Singula ergo vt primũ quodq; sumim⁹ sic erũt tractãda, vt dicatur quę sit substãtia eorũ, qđ definiēdo fit. Si tamē eiusmodi res sit vt sit definiēda, notiores. n. sũt res nõnũquã, quã vt hac indigeãt cura. Tũ quæ partes sint rei di cēdũ, si sit earũ natura, vt possint earũ aliquę fieri partes. Hinc ea quę proprię cuiusve natura adiacēt, dicētur vis illa quæ agit & patitur, & ea ipsa quæ agit quæq; patitur, & quæ reliqua substantiam rei circunstant. Hæc Rodolphus.

Viuis testimonium.

LVdouicus Viues li. 1. de caussis corru

qſitionē artiū & pręcepta illarū dexteritas, vt temerè ſiue arte, ſiue ſagacitate quacunq; ſe via aliqua oſtēdiſſet, illac inſiſterent ad inueſtigationē veritatis. Nō penetrârunt ex effectis ad cauſſas primas. Nō ex cōpoſitis ad Elemēta & initia, nō ex ſingulis colligerūt vniuerſum (Hactenus inuentio: Methodus & Diſpoſitio ſeqtur) nō ex vniuerſo pręceperunt de ſingulis & quaſi fluuium, quod opus tamen eſt, corriuarentur.

Philippi teſtimonium.

PHilipp⁹: Vniuerſalia, inqt, dicūtur qa ſunt gradus vocabulorū cōmunium. Nihil.n. de alio dici poteſt, niſi ſit ęquale aut cōmunius. Nec vocabulum anguſti⁹ ponitur loco prædicati. Naturalis.n. hic ordo eſt, vt anguſtiora declarētur.i. doceātur p cōmuniora. Hęc Philipp⁹. Vnde neceſſariò cōſeqtur in ordine doctrinæ cōmuniora primū eſſe declaranda & docēda vt per ea poſtea declarata & intellecta anguſtiora declarari & intelligi poſſunt. Aliâs enim ignota per ignota declararētur. Hęc ergo via illa regia & compēdiaria eſt à Platone, Ariſtotile, Galeno, Cicerone,

& alijs mõstrata & celebrata, quę artes & res omnes breuiter & pspicuè tradi & explicari possunt. Qua à generalib⁹, vniuersalibus, cõmunibus, latiorib. ad specialia singularia, propria, angustiora, perpetua serie definitiones & diuisiones seu collectiua & distributiua præcepta disponuntur.

Atq; hacten⁹ de artiũ breuiter & accuratè instituẽdarũ ratione, ea qua fieri potuit breuitate & pspicuitate dictũ est. Reliquũ est vt q studijs suis cõsulere velint, eã ad vsũ trãsferãt, idq; primũ in aliorũ scriptis & dictis dijudicãdis, in lectionib⁹, artib⁹, & bonorũ autorũ interpretatione, vt quaten⁹ hãc viã alij secuti sunt aut nõ secuti intelligãt. Tũ in ijs quæ ipsi vel scripturi vel dicturi sunt, semp oculos & animũ ad hanc rationẽ velut Cynosurã dirigãt. Quòd si fecerint, lõgè citiùs & faciliùs omnes artes discerẽt, & multo in posterũ maiori dexteritate alios docere poterint

FINIS.

BASILEAE,

PER SEBASTIANVM HENRICPETRI.

Anno CIↃ IↃ XC.

